RHETORICAE ECCLESIASTICAE

AB AVGVSTINO VALERIO
Veronæ Episcopo scriptæ,

SYNOPSIS AB IPSO CONTEXTA.





VERONÆ,
Ex Typographia Hieronymi Stringarij, et fratrū.
M D LXXXIII.

AMPLISSIMO CARDINALI
CAROLO BORRHOMAEO
ARCHIEPISCOPO MEDIOLANI.

AVGVSTINVS VALERIVS
Veronæ Episcopus. S. P. D.



OST multos viros iudicio, & varia rerum cognitione præstantes, qui artem dicendi tradiderunt, voluisti, Cardinalis amplissime, præcepta colligi, aut accommodari potius ad vsum clericorum, qui in Ecclesia Sancta Dei, ad populum aliquando sermonem habituri essent, vt nec præceptorum copia obruerentur, et artem Rhetoricam discentes, meliores efficerentur, & ea à primis annis discerent, quæ cum fructu populos possent docere. Iam est edita Rhetorica Ecclesiastica sub tuo nomine, opus certe non facile, et non minimi laboris, quod sane

fœlicius absolui potuißet. indicati sunt aliqui loci, qui fortasse tractabuntur fructuosius à viris doctis, & in sacrarum literarum studio versatis, in quorum manus ille liber inciderit. Parui ego, et homines otio magis, abundantes, excitare volui ad facultatem Ecclesiæ Dei admodum vtilem locupletandam, atque exornandam. Cum autem Mediolanum venissem, vt me post multas Episcopalis muneris occupationes recrearem, & tuo exemplo tuisq; sermonibus (vt ab hinc iam triennium mihi contigit) ad animas mihi creditas pascendas, redirem instructior, atque ardentior, in quadam tabella etiam totam hanc, quam delineaui, et vt potui, expreßi artem, Rhetoricam Ecclesiasticam inscriptam, ante oculos occupatorum hominum, qui totum librum commode legere non possunt, esse ponendam iudicasti, vt breui temporis spatio, in magnis etiam occupationibus ea percurri posset. Hæc ratio diuidendi maximè Platoni placuit, qui in quodam dialogo miris laudibus effert ea ingenia, quæ nobilißimo hoc docendi instrumento sciunt vti. facile enim res ipsas distinguunt, omnem confusionem tollunt, vel minimas rerum differentias percipiunt, facilius, quidquid mente conceperint, in aliorum

animis

animis imprimunt, memoriæ, quæ est custos omniũ scientiarum, atque artium, hac ratione ita consulunt, vt soli sapere, soli alios docere posse videantur. Coniuncta est etiam (vt optime nosti, quandoquidem huiusmodi artium, et disciplinarum distinctionibus maximè delectaris) præclarissimæ huic methodo mirabilis quædam voluptas, vt animus res, quasi viua quadam pictura expressas, magis cernere, quam discere videatur, & nos similitudinem Dei, ad quam effecti sumus, hac ratione exprimentes, quatenus humana infirmitas patitur, vt vno intuitu ille omnia cognoscit, sic vno aspectu, singulas artes, et scientias poßimus animo perlustrare. Eos, qui recte diuidendi ratione vtuntur, Deo quam simillimos dixit idem Plato, quia distinctionem illam mirabilem, in qua mundi pulchritudo consistit, imitari maxime videntur. quam laudem etsi virum illum nimis amplificasse, est existimandum, eam tamen clericis, atque etiam omnibus, qui in omni studiorum genere præsertim in sacris literis versantur, non minimo studio quærendam esse iudicarim. Accipe igitur, Cardinalis amplißime, Rhetoricæ Ecclesiasticæ synopsim: & quando fortasse totum opus Rhetoricæ,

ob

ob maximas tuas occupationes, legere non poteris, in hac, veluti in quadam tabella lineamenta artis, & omnes articulos, quibus constat, acie mentis, qua praestas, inspice.



PLATO duplicem Rhetoricã cognouit, philosophicam, quã homines ad bonum, philosophis cognitum, hoc est, ad morales virtutes excitarentur: & adulatoriam, vilem, & abiectam, qua lenocinijs quibusdam populi allicerentur, ac deciperentur. Nos verò non adulatoriam, neque philosophicam, sed Ecclesiasticam Rhetoricam tradimus, quam nunc veluti in tabella ante oculos ponimus, ac primum explicemus eius

Ortum. Inde autem ortum habuit, quod cũ benignissimus pater Deus linguam homini tribuisset, vt virtutem, maiestatemq; Dei interpretaretur: oratores vero sęculi nobilissimum hoc membrum ad decipiendos incautos animos malitiose adhiberent, necesse fuit colligere, aut potius accommodare quędam pręcepta ab omni malitia prorsus aliena, & illa quidem à Sãctis patribus iamdiu ad vsum reuocata, sed adhuc fortasse in artem minime redacta, vt Sanctę Matri Ecclesię veritatis magistrę seruirent: qua collectione Rhetorica Ecclesiastica est cõstituta. ea autẽ sic definitur: Rhetorica Ecclesiastica est ars inueniendi, tractãdi, & eloquẽdi omnia, quę ad salutem animarũ pertinent: quæ omnia Ecclesiasticus orator consequetur
- Docendo.
- Mouendo.
- Conciliando.

Utilitatem. ea enim prodest ad
- Veritatem tuendã, et extollendã.
- Salutaria consilia proponenda.
- Debitos honores virtuti tribuẽdos
- Populorum impetus sedandos.
- Christianam religionem inducendam, retinẽdam propagandã.

Qui docet considerare debet
- Quatuor causas quæ sunt
  1. Efficiens. efficiens autem causa cõcionum, & bonarũ rerũ omniũ est Spiritus Sanctus, qui pcib. inuocandus est. proximę causę efficiẽtes sunt labor, & exercitatio.
  2. Forma, quę in hoc est sita, ut aptè, & congruẽter dicatur ad populũ. De eisdẽ reb[9] tractat dialecticus, et orator, diuerso tñ modo: ita scholasticus, & Ecclesiast, orator.
  3. Finis, qui est, persuadẽdo lucrari animas Christo. Differt aũt finis ab officio, quod orator, et si propositũ sibi finem non assequitur, non ideo tñ bonus orator non est existimandus, dummodo apte dicat ad persuadendum.
  4. Materia de qua agit orator, quæ duplex est
     - Remota, quę continet omnia, quę scripta sunt, ita vt quidquid ex philosophis, poetis, historicis, oratorib. ex omni scriptorũ genere excerpi potest ad vtilitatẽ populi, id totũ Ecclesiastico oratori tanquã suum, ab alijs vsurpatum subyciatur.
     - Proxima, quę est omnis propositio catholica intelligentiæ, & saluti populorum accommodata, de qua infra A.
- Argumenta, quibus vtitur ad docendum: de quibus infra B.

- A Materia tribus generib. cōprehenditur
  - Deliberatiuo qđ faciliorìs doctrinæ causa ad quinque capita redigi liceat
    - 1 Credenda. credēdū est autē
      - Expreßo in sacris literis Dei verbo.
      - Duodecim articulis fidei.
      - Traditionibus Apostolorū, & Apostolicorū hominū.
      - Sanctæ Ecclesiæ veritatis magistræ.
      - Sanctis concilijs generalibus.
      - Sanctis Doctoribus, cum inter se consentiunt.
    - 2 Speranda. Sperāda sunt dūt fidelibus à Sācta matre Ecclesia minimè recedētibus.
      - Venia peccatorū.
      - Cælestis patria.
    - 3 Timēda quæ sunt
      - Mors animæ, quæ fit per peccatum.
      - Vltimum, & horribile Dei iudicium.
      - Infernus in quo sunt
        - Fletus, & stridor dentium.
        - Vlulatus, & lamentationes.
        - Sera pœnitentia.
        - Horror, ardor, & fœtor.
        - Nullus ordo.
        - Nulla spes boni, & nulla mali fuga.
        - Ignis inextinguibilis vrendi potestate præditus, at luce carens.
        - Vermium quoddam genus venenum emittentium, carnes vorantium, famem nunquā explentium, dolorem intolerabilem corrusione inurentium.
    - 4 Agenda, de quibus infra C.
    - 5 Vitanda
      - Peccatum
        - Originale, qđ in ipsa nostri cōceptione cōtractū est: quod etsi vitari nō potest, lugendū tñ est, et sancto baptismatis sacramēto tollitur.
        - Actuale
          - Mortale, qđ maximā homini miseriā affert, quia
            - Separat à fonte bonitatis Deo.
            - Ex filijs Dei adoptiuis, & filijs lucis, seruos sathanæ, & filios tenebrarum facit.
            - Disiungit à Christo, qui est via, veritas, & vita.
            - Huius diuersæ sūt species, de quib. infra D.
          - Veniale, quod facile veniam obtinet, quia inimicum Deo hominē non reddit, vt mentis euagatio, risus immoderatus, & huiusmodi, quæ quotidiana dicuntur.
      - Occasiones peccati, vt
        - Improborum hominum consuetudo.
        - Curiositas impudentiæ soror, vanitatis mater.
        - Theatra.
        - Publica spectacula.
        - Frequentia conuiui-
  - Demonstratiuo, de quo infra E.
  - Iudiciali, de quo infra F.

1 *Superbia, quæ est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ, quæ in his est posita, cum bona, quæ habemus, non accepta Deo referimus, eaq; iactamus, tanquam nostra; vel bona, quæ non habemus, nobis arrogamus. cōtra hęc genera superbię dicat orator*

Nihil tam aduersari Christo, nihil minus conuenire naturæ hominis, quam superbiam.
Vbi est superbia, ibi esse stultitiam.
Superbum, qui ob virtutes extollitur, de vita mori, de sanitate ęgrotare, de medicamine perire.
Humanam infirmitatem, & varias huius vitæ calamitates esse considerandas, vt ad humilitatem exerceamur.
Nihil esse, cur spiritus tollamus, & de nobis magnificè sentiamus.
Sumpsisse Deum puluerē de terra, & hominem formaße.
Si è terra discederemus, conditionis nostræ fortasse obliuionē nos posse capere. cum autem à terra nunquam discedamus, incedamus in terra, conquiescamus in terra, stultū esse efferri.
Abiectæ cōditionis nostræ hęc monumēta nos habere, terram nos aspice, ex humili, contemptaq; eius materia genus duxisse.
Deū superbis resistere humilibus dare gratiam.
Domini nostri Iesu Christi vitam nos ad humilitatem instruere.

D
Mortale peccatum est quod mortē affert animæ peccanti, cuius septē sunt species

2 *Auaritia, quę est inordinatus appetitus habendi, qua peste qui sunt infecti miserrimam vitam ducunt: quibus dicat orator*

Auarum esse inferno similem, & ingratissimum in Deum, & stultissimum, qui nesciat ei fœnerari, in cuius manu sunt omnia.
Auaros esse belluonibus similes, qui disrumpi malunt, quam vel tantillum ex ijs, quæ supersunt, in inopes conferre.
Auaros se ipsos infœlices efficere.
Opes absconditas inutiles, distributas publicum commodum parere.
Eos, qui non miserentur, misericordiā non cōsecuturos.
Eos, qui non aperiunt pauperibus domum suam, Dominum à regno suo exclusurum.
Diuitias in vsu, non in possessione consistere.
Opes esse animarum laqueum, mortis hamum, peccati escam.
Diuites esse ministros Dei dispensatores, & œconomos.

3 *Inuidia, quæ est tristitia ex bono alterius. Hanc vitandam esse ostendat orator, & dicat*

Nihil boni in se habere inuidiam, nisi quod cruciat inuidentes.
Inuidiam esse sathanæ machinam, quæ omnia peruertere conatur.
Inuidiæ fœcundam esse perniciem, radicem omnium malorum, fontem cladium, seminarium delictorum, materiam culparum.
Inuidiam soluere vinculum pacis, adulterare veritatem, esse malum sine termino, peccatum sine fine.
Inuidos esse insidiosos, infestos, perniciosos, nullius magis, quam suæ salutis inimicos.
Inuidiam pugnæ contra Deum esse magistram, homicidij matrem, naturæ confusionem, amicitiæ expertem.

4 *Gula, quę est inordinat⁹ appetit⁹ cibi, & potus, de qua, cum dixerit orator inculcet*

Edendum, & bibēdum, ut uiuamus, nō uiuēdū, vt edamus, & bibam⁹.
Paucis, minimisq́; cōtentam esse naturam.
Plures iugulasse gulam, quàm gladium.
Saturitatem esse fame peiorem.
Gulam matrem incontinentiæ, & altricem ægritudinum, ac multarum miseriarum esse.
Vt lignorū copia ingens excitatur flamma: ita ciborum multitudine, & varietate adaugeri voluptatis incendium.
Appetitionem cibi immoderatam peperisse inobedientiam.
Gustus suauitatē è paradiso hominem eiecisse.
Vitandā ebrietatē, eāq́; esse lasciuiæ nutricem, iustitiæ, & prudentiæ inimicam, sororē stultitiæ, & comitē infamię.
Vinum Dei donum esse ad robur animi, & cor exhilarandum diuinitus concessum, intemperantibus incontinentiæ factum instrumentum.

5 *Luxuria, quæ est appetitus impura, & libidinosæ voluptatis, de hac orator pluribus dicat*

Luxuriam adimere vsum rationis, homines belluas efficere.
Luxuriæ comites esse pœnitentiam, & infamiam.
Luxuriam plerunq; esse peccati pęnam.
Nihil esse vilius, quàm à carne vinci, nihil gloriosius, q̄ carnem vincere.
Cędium, bellorum, calamitatum, magistram esse luxuriam.
Luxuriam prodigalitatis, furtorum, & multorum pessimorum cōsiliorum sociam, disciplinæ corruptricem, prudentiæ inimicā acerrimam, armasse filios in parentes, miseram, & calamitosam multorū senectutē effecisse.

Vitandam esse, quia est comes stultitiæ, inimica consilij, mater pœnitentiæ, nutrix iurgiorum, inimicitiarum, & multarũ calamitatum.

6 Ira, quæ est inordinata cupiditas puniendi, à quibus læsum se quis arbitratur, ad quam remouendam dicere poterit orator

Vitandam iram, hoc est, permanentem, diuturnamq́; tristitiam, & quandam vlciscendi libidinem.

Iram sapientes perdere.

Iracundos rabie, vt canes, affici, pungi, vt scorpiones, morderi, vt serpentes.

Contumelias, probra, accusationes, verbera esse, iræ, & furoris fructus.

Ob iram oriri homicidia, parentes & liberos naturæ obliuisci.

Iram non venerari senectutem, non virtutum, obliuisci propinquitatis, & amicitiæ.

Iram esse momentaneam insaniam.

Iram formam hominum cognitam quasi larua quadam, vt in scena fieri solet, prorsus immutare.

Irascendo, qui victor est, peccatis grauiorem discedere.

Iracundiæ medicinam esse, sibi non multum tribuere, silentium esse magnum remedium.

7 Acidia quæ est remissi animi languor ad bene agẽdum, ac tristitia ꝓsertim de re spirituali: contra quã dicat orator

Acidiam esse originem vitiorum, pusillanimitatis, atq; malitiæ magistram.

Eos, qui hoc laborant vitio, indignos esse nomine hominis, cum ad agendum, & contemplandum, ac etiam ad laborandum procreati simus.

Nihil magis studere sathanam, quàm vt animas otiosas inueniat, eas vt in suam tyrannidem redigat.

Sathanam improbum fœneratorem non repetere debitum, prompte mutuare, nihil exigere, nullum aliud fœnus præter seruitutem postulare.

Sathanam abunde suggerere otiosis, quibus eorum cupiditates augeantur, operam dare, vt veterum peccatorum homines obliuiscantur, & non confiteantur.

De ociosis hominibus acidiæ morbo laborantibus Diabolum triumphare.

Mundum callidissimum magistrum semper perniciosa suggerentem illos despicere, in sui tamen admirationem trahere, in sathanæ seruitute confirmare.

Carnem domesticum, & insidiosum inimicum in otiosos crudelem exercere tyrannidem.

Acidiæ comitem plerumq; paupertatem, & ignominiam.

Acidiam vitari posse, si homo formicæ, apisq́; industriam diligenter considerauerit.

Sunt etiam vitanda peccata, quę appellantur peccata

Aliena. ideo sic dicta, qa cum ab alijs cōmittātur, nobis etiam nocēt, quod aliqua ratione illis communicamus. Id autem his modis potissimum contingit

1 Consilio, quando quis alicuius sceleris committendi est vel auctor, vel consultor, vel minister, vt qui hortantur homines ad singulare certamen, ad ulciscēdas iniurias, qui etiam excitant alios ad libidinem, vt lenones.
2 Iussione, vt Dauid, homo alias secundum cor Dei, & qui post peccatum fleuit, cum iussit Vriam interfici, vt eius vxore potiretur.
3 Consensu, quo in genere peccant innumerabiles homines, putantes, quia ipsi in peccata non incidunt, etsi alijs consentiunt, non peccare. Vnde illæ voces: Si peccat, eius res agitur, nihil ad me; ipse viderit, qui nō excusantur, nisi, quantū in se est, peccāti nō aduersentur.
4 Irritatione, quando quis dictis, aut factis, aut quauis alia ratione sciens alium ad iracundiam prouocat.
5 Adulatione, quod vitium latissime patet in rebuspub. in opulentis ciuitatibus, præsertim in aulis principū: & vtinam inter sacerdotes etiam, & clericos non reperirentur, qui adulationibus suis præpositorum, & episcoporum suorum zelum retardarent.
6 Reticentia, quando quis reprehendere debet, & tacet. nō obseruat enim illud: clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocē tuam, & annuntia populo meo scelera eorū, et huius peccati prælati in primis sunt rationē reddituri.
7 Conniuentia, qua ratione peccant sæpe parentes, qui filiorum suorum vitia non castigant.
8 Participatione, quando quis ad perpetranda quæuis peccata socium alicui se præbet: ad quod pertinet illud: Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.
9 Defensione praui alicuius facti, quo in genere solent ij maxime peccare, qui in foro aliorum causas iniustas vel lucri, vel amicitiæ causa tuentur.

In spiritum sanctum, quæ ex malitia proficiscuntur. ea autem sunt

- Præsumere de diuina misericordia.
- Desperare de diuina bonitate.
- Agnitam veritatem impugnare.
- Fraternæ gratiæ inuidere.
- Obstinato animo in peccatis perseuerare.

In cœlum clamātia, quę prę cęteris insignē improbitatē habēt, quęq; maxime ad iram deum prouocant. ea aūt sunt

- Homicidium voluntarium.
- Peccata contra naturam.
- Pauperum, viduarum, atq; pupillorum oppressio.
- Merces operariorum defraudata.

Vitandæ sunt etiam peccata linguæ, quæ sunt

Blasphemia in Deum, Beatam Virginem, Sanctos

Hic autem ostendere poterit ecclesiasticus orator

- Vitandum esse, ne lingua labatur.
- Illud nobilissimum membrum datum esse ad laudandum Deum.
- Blasphemiam abominandam esse.
- Nullum detestabilius, magisq; nefarium scelus fieri posse, quam si Dei maiestas execrationibus, & maledictis, quantum in nobis est, uioletur.
- Hoc peccatum esse ad mortem.

Detractio, ad quam remouendam, auditoribus dicat Ecclesiasticus orator

- Ne de alterius dignitate, existimatione, fama detrahant.
- Ne falso quemquam crimine accusent.
- Aliena bona in luce, & in commemoratione hominum posita, ne extenuent.
- Virtutem, & laudem in crimen non vertant.
- Ne exaggerent aliorum mala, atq; vitia, neuè occulta diuulgent.
- Non solum nostræ, sed etiam aliorum saluti consulendum.
- Iudicandum nõ esse, ne iudicemur à Domino.
- Deo, & hominibus odio esse detractorem.
- Detractionem in primis de existimatione principum, grauissimum scelus esse.

Adulatio, quo loco dicat orator

- Adulationem esse venenum, quo præstantia sæpe ingenia corrumpuntur.
- Eam esse infidelissimam consiliariam, rerumpublicarum, regnorumq; pestem.
- Contemptissimos, & ridiculos homines efficere.
- Adulatoribus aures non esse patefaciendas, aliorum potius reprehensiones æquis auribus accipiendas.

Cetera etiã, in quibus lingua peccat, orator auditoribus, vitanda ostendat, & moneat

- Ne bilingues sint.
- Ne se iactent, ac venditent.
- Ne aliorum secreta sibi commissa aperiant.
- Ne per leuitatem, et imprudentiam cõminentur.
- Nihil temere promittant.
- Otiosum sermonem non habeant, nec multum.
- Non suscipiant peccatorum suorum defensionẽ.
- Contentiones, rixas, iurgia fugiant.

Agenda. Agẽdum eſt autẽ Chriſtiano homini

- 1 *Quidquid lex precipit. eſt autem lex vel*
  - *Diuina*
    - *Naturalis, quam non ſcriptam nobis liceat nominare.*
    - *Poſitiua à Deo ſcilicet poſita, quam ſcriptam quſpiam poſset interpretari. ea autem diuiditur in*
      - 1 *Veterem, ideſt Moyſis, quæ eſt quidem diuina, ſed vmbrã tantũ continet veritatis. Fuit data propter tranſgreſſionẽ, et demonſtrat peccatum; cuius ſacramẽta ſignificat, ſed non continet gratiam.*
      - 2 *Nouam, hoc eſt Euangelicam, quæ continet veritatem, & gratiam, quã ſanctiſsimis Sacramentis confert, quæ veluti pharmaca ad humanas infirmitates ſanandas, & inſtrumenta diuinę gratię à D.N.Ieſu Chriſto inſtituta maximè ſunt à nobis veneranda. Oſtendet pluribus verbis orator, quẽadmodum homo naſcitur, creſcit, alitur, valetudinẽ recuperat, poſtremo eius vires debilitate reficiuntur: ita animã baptiſmo renaſci, chriſmate creſcere, Sancta Euchariſtia tanq̃ pane quotidiano ali, ſacramento pœnitẽtiæ ſanari, extrema vnctione recreari, ipſiq; faciliorẽ in cæleſtẽ patriã aditum patefieri, ad q̃ remedia adhibẽda neceſſariũ eſſe ſacramentum ordinis: vt ad fomitẽ carnalis concupiſcentiæ debilitandũ, & ad propagandũ populũ Dei, inſtitutũ eſt ab eodẽ D.N. Ieſu Chriſto ſanctũ ſacramentum matrimoniũ, quod ante à Deo erat ordinatum. de his agens hortabitur ſæpe auditores ad pœnitentiæ & ſanctiſſimæ Euchariſtię frequentẽ vſum colliget ẽt ex ſanctis patribus, theologis in primis ſcholaſticis quæ ſcripſerrunt de ſacramentorum*
        - *Numero.*
        - *Differẽtijs.*
        - *Effectibus.*
  - *Humana*
    - *Canonica, cui parendum eſt, quia cum diuina conſentit.*
    - *Cui parendum quatenus à diuina non diſcrepat.*
- 2 *Quidquid conſuetudines legi Dei non aduerſantes volunt.*
- 3 *Quidquid priuatim pro ſua quiſq; vocatione præſtare debet.*

Cum autem omniũ præceptorum finis sit amor, doceat orator amandũ

- Primum deum
  - Ex toto corde.
  - Ex tota anima.
  - Ex tota mente.
- Deinde homines secundum ordinem caritatis
  - 1 Propriam animam.
  - 2 Animam aliorum.
  - 3 Corpus proprium.
  - 4 Corpora proximorum.
  - 5 Bona externa, quibus vtendum est, tanquam instrumentis ad virtutem.

Cæremoniæ et in ijs, quæ ab homine christiano agẽda sunt, recte numerantur. Sunt enim propẽsæ voluntatis, & charitatis in Deũ signa quædã & argumenta: Hinc

- Genua inflectimus.
- Caput inclinamus.
- Pectus percutimus.
- Oculos
  - Extollimus.
  - Deijcimus.

Hæc agẽda eße ex animo ostendat orator, et dicat

- Simulatam religionem duplicem esse impietatẽ.
- Verissimam esse illam sententiam.
- Omnis gloria filiæ regis abintus.
- Omnes cæremonias diligentissime esse retinendas, quia piæ, religiosæq; mentis amorem in Deum alunt atque accendunt: & in animis hominum religioni non admodum deditorũ pietatis studium sensim excitant, & augent.

E Demonstratiuum genus est, quod consistit in

1 Laudatione seruorũ Dei. Omnis autem laus ducitur à uirtutib⁹, quarum præcipue sunt

1 Religio, quæ est cultus, quem Deo tribuimus fide, spe, et charitate, est Christi imitatio, et recta amoris regula.

2 Pietas, quæ est obsequium, quod exhibetur primum Deo, deinde illis, quos Deus nobis venerandos proposuit, ut sacerdotibus, parentibus, regibus, principibus, natu maioribus, præceptoribus.

3 Fides, quæ est habitus, quo firmiter aßentimur reuelatis à Deo, porta salutis, religionis fundamentum.

4 Spes, quæ est certa expectatio futuræ beatitudinis, iucunda vitæ spiritualis socia, & optima in rebus aduersis consiliaria.

5 Charitas, quę est via Dei ad homines, & via hominum ad Deum, causa, & mater omnium virtutum, quæ si desit, frustra habentur cætera, si adsit, habentur omnia, ita vt qui ea nobilissima virtute sit ornatus, in maxima paupertate sit diues, & omnibus commodis abundet, quia in Deo manet, & Deus in eo.

6 Bonitas, quæ est propago quædam charitatis, qua potissimum Christianus homo Deo, quoad eius fieri potest, similis euadit, alteri quibuscunq; rebus potest, prodesse studet, sua vel animi, vel corporis, vel externa bona impertit alijs, omniumq́ hominum vtilitati, & saluti re, opera, consilio inseruit.

2 Vituperatione malorũ. Quoniam vero contrariorũ eadem est disciplina in vituperatione ijdem loci, qui etiam in laudatione, adhibentur.

7 Oratio, quæ est condimentum actionum, quia est fidei, spei, & charitatis comes, sic etiam describi potest, eleuatio mentis in Deum, colloquium cum Deo, clauis, qua aperitur cœlum, telum, quo sathanæ insidijs resistimus, Deo acceptissima virtus.

8 Deuotio, quæ est prompta voluntas seruiendi Deo, gratissimum Deo sacrificium voluntatis nostræ, religionis filia, bonarum omnium actionũ altrix, in aduersis suauissima vitæ socia.

9 Prudentia, quæ est cognitio rerum vitandarum, & appetendarum, industriæ mater, salutarium illorũ præceptorum magistra: Nosce te ipsum, Ne quid nimis, Auream dilige mediocritatem.

10 Iustitia, quæ est constans, & perpetua voluntas tribuendi vnicuiq;, quod suum est, Deo cultum, Sanctis venerationem, sacerdotibus, & parentibus obedientiã, & obseruantiam, regibus debitum honorem, omnibus mutuum amorem.

11 Eleemosyna, quæ est pars iustitiæ, Christiana liberalitas

tas, quæ, vt aqua ignem, ita extinguit peccatum, & sine qua nemo potest placere Deo.

12 *Fortitudo, quæ est firmitas animi contra molestias seculi, aut alio modo considerata, laborum susceptio, & malorum perpessio, & habitus, quo præditus qui est, nil, nisi turpia, timet, tolerat fortiter aduersa, moderate prospera, est voluntatis robur, virtutum tutela, vitiorum expultrix, & periculorum sapiens expugnatrix.*

13 *Martyrium, quod est delictorum finis, periculi terminus, dux salutis, & verus patientiæ magister, est, vt sanctus martyr Cyprianus scripsit, baptisma, in quo angeli baptizant, Christus exultat, post quod nemo iam peccat, quod fidei nostræ incrementa consumit, quod nos statim, vbi ex hac vita discessimus, Deo copulat.*

14 *Temperantia, quæ est rationis in libidinem, atque alios non rectos animi impetus firma, & moderata dominatio, & amor sese integrum, & incorruptum Deo seruans, à qua temperatus dicitur.*

15 *Ieiunium, quod est optima custodia corporis, tuta habitatio, fortium virorũ munimentum, egregius in bello fortitudinis, in pace quietis magister.*

16 *Pudicitia, quæ est flos morum, honor corporum, decor sensuum, integritas sanguinis, fides generis, fundamentum castitatis.*

17 *Castitas, quæ est munimen sanctimoniæ, & sinceritatis indicium, socia Spiritus Sancti, quæ gaudium parit, tristitiam interficit, quidam est currus spiritualis, qui eam possidentem tollit in sublime.*

18 *Virginitas, quæ est flos ecclesiastici germinis, decus, & ornamentũ gratiæ spiritualis, læta indoles laudis, & honoris, opus integrum, & incorruptũ, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi.*

19 *Patientia, quæ est fortitudinis soror, nec manet sola. nam hac virtute qui est præditus, gaudet in rebus aduersis, probatur in calamitatibus, exultat in tentationibus.*

20 *Longanimitas, quæ est à patientia aliquantulum distincta, modestiæ filia, ijs, quos vlcisci potest, læsa ignoscit, de eorum, qui improbi sint, atq; inimici, resipiscentia, & sanitate mentis bonam spem concipiens, eorum interea inscitiam, & animi imbecillitatem, atq; impotentiam excusans, ex hisque natas iniurias, & incommoda ferens.*

21 *Perseuerantia, quæ est nobilissima Christianorum virtus, summi regis filia, constantiæ nutrix, soror patientiæ, interioris pacis custos, sine qua in cælestem patriam nemo ingreditur.*

22 *Humilitas, quæ est elementum, siue fundamentum omnium virtutum, sine qua nemo in Christiana philosophia potest proficere. Hæc est quædam inclinatio mentis coram Deo, est ars cognoscendi, & spernendi semetipsum, & res humanas, & inanem gloriolam fugiendi, alios sibi præferendi, & fidelissima sapientiæ socia.*

Orator ecclesiasticus raro viuentes laudat, aut quia

- Ignorat laudene, an uituperatione quis dignus sit, cũ nemo possit affirmare, aliquem Deo esse gratum.
- Dum viuimus, domesticis, & acrib. inimicis oppugnamur & incertus est pugnę exitus.
- Cauet hoc maxime, ne dulce venenũ exbibens viuẽtib. noceat, et turpem adulationis notã subeat.

In funere laudat, et laudes ducit à tempore

- Quod pcessit ortũ illius, qui laudatur, in quo considerantur
  - Patria, à qua B. Gregorius Nazian. sic B. Basilium laudat: Cũ permulta nobis laudum argumenta, quod ad patrẽ attinet, ex paterno latere Pontus suppeditet, & quidẽ nequaquã minora priscis miraculis, quib. historicorũ, et poetarũ pleni sunt libri tũ ẽt multa subministrat patrium solum hoc meum dignitate illustris Cappadocia, non minus virorum sobole præstans, quam equorum.
  - Patria. Maiores.
  - Oracula; et respõsa diuina, à quibus laudari possunt Isaac, Ioãnes Baptista, multiq́; alii viri sanctissimi, quos parentes assiduis precibus à Deo impetrauerũt, de quibus ante quam nascerentur, multa praclara predicta fuerunt.
- Quo vixit, in quo considerantur
  - Virtutes, Munera, Res gesta, Amicitię — publica, priuata — Vbi loco à consentaneis uti poterit orator, et ostẽdere, eum, qui laudatur
    - Fecisse digna — Patria sua. Majoribus suis. Educatione sua. Rebus ante gestis.
    - Omniũ uirtutũ exempla nõ ad suã, sed ad gloriã Dei dedisse.
  - Aliquid supra spẽ, aut expectationẽ fecisse
  - Ea q̃ qs
    - Solus fecerit, vel habuerit, qua rõne laudari potest Saluator noster, cui soli præstantissimum illud Iesu nomen conuenit: item B. Virgo, quòd sola filium Dei genuerit, & virgo ante partum, in partu, & post partũ extiterit: item S. Ioannes Baptista, qui solus Christi dilectus est appellatus.
    - Cũ paucis, vel primus fecerit. Pauci fecere, qd Stephanus, qui orauit pro iis, à quibus lapidabatur. pauci relictis imperiis in monasteria se abdiderunt, vt superiorib. annis fecit Carolus V. Imper. pauci, immo paucissimi pontificatu cesserũt, vt fecit Cęlestinus, à quo Cęlestini monachi nomen habuerũt. In vltimo actu vitę egerit.
- Quod mortẽ est cõsecutũ, de quo sequẽti tabella ubi †

In tempore, quod mortē est consecutum, considerantur: Honores post mortem tributi. Dolor ciuitatis, Luctus. Squallor.

Hunc locum praeclarissimè tractat S. Gregorius Naziāzenus Basilium laudās his verbis: Efferebatur vir sanctus sanctorū manibus elatus, atq; omnes operam dabant, partim vt fimbriā eius arriperent, partim vt vmbram, vt feretrum; quo sanctus portabatur, vel solum tangerent.

In demonstratiuo genere maxime amplificationes adhibentur: Non ob eam causam, vt Isocrates pollicebatur, qui ad oratorem dicebat pertinere, maxima efficere minima, & minima maxima dicendo. Sed vt res cognoscatur esse tanti momenti, quanti est re vera, & vt declaret, et ponat ante oculos grauitatem peccatorum.

Amplificationes dicuntur, cum argumenta ipsa tum verbis, tum rebus ab auditores magis afficiendos amplissime dilatantur, quae ex eisdem locis, vnde etiā laudationes ipsae, sumi possunt. Pulcra est illa amplificatio B. Bernardi ad Eugenium Pontificem ab ipsius Pontificis persona sumpta: Tu es sacerdos magnus, & Pontifex summus tu princeps episcoporum, tu haeres Apostolorū; tu primatu Abel, gubernatu Noe, patriarchatu Abraham; ordine Melchisedech, dignitate Aaron, auctoritate Moyses, Iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus: tu es, cui claues traditae sunt.

Orator vero ecclesiasticus in genere demonstratiuo versans tractet locos communes de bono mortis, de contemnenda vita, de maximis, & grauissimis periculis, quibus expositi sumus, & in fine sermonis concludat, beatum illum, qui iam in portum est receptus, commemorās praecipuas illius virtutes, vt auditores ad eius imitationem excitentur.

F Iudiciale genus est quod constat

- 1 *Accusatione.* Raro accusant clerici, qui humanam infirmitatē agnoscentes, & Dei misericordiam ante oculos habentes correctionem morū, non seueram iustitiā propositam habent. Permittitur tamen in sacris concilijs sacerdotibus accusare cum de honore Dei & de populorum salute agitur. In iudicio autem hæc sunt obseruanda, vt
  - Qui accusat, zelo Dei accuset, nullo odio commotus, nulla vtilitatis, aut inanis gloriolę cupiditate adductus
  - Is apud quē accusatur, iudicij habeat auctoritatem.
  - Qui accusat, talis sit, ut puersis suis moribus alios corrūpat: ex quibus colligitur, hæreticos clericis maxime esse accusādos.
  - Si in aliquo generali cō cilio, aut p̄uincia li synodo esset dicendū cōtra nouarum, et peruersarū opinionū dissem inatores, docendum erit
    - Castissimos vetustatis limites nō esse prætereundos.
    - A sancta matre Ecclesia Spiritu Sancto edocta nunquā recedendum.
    - Ecclesiam esse magistram, & arbitram veritatis, & omniū errorum expultricem.
    - Stulti, & impij hominis esse ab Eccle discedere.
    - Grauissimū peccatū esse hæresim, & eo grauius qd̄ quāplurimis perniciē afferat, perturbet regna, vastet respub. & multis incōmodis populum Dei afficiat.
- 2 *Defensione*, in qua frequentius clerici versantur, vt oppressos subleuēt, innocentesq; defendant. Defendere autem debēt
  - Religionem Christianā.
  - Sedis Apostolicę auctoritatem.
  - Existimationem et famā suā, ubi pręsertim, si ea negligatur, alijs id fit detrimento futurum.
  - Calumnij oppressos.
  - Inopes, & omni ope destitutos.
  - Eos, qui fidei suę commissi sunt.
  - Deprecationibus vtantur interdū, cū is, de cuius salute agitur.
    - Multa probitatis, et Christianæ pietatis indicia dederit.
    - Semel peccauerit.
  - ostēdāt aūt clerici
    - Falsum esse illud crimē.
    - Accusantē malo animo in illū fuisse.
    - Non permittendum, vt seruus Dei calumnia opprimatur.

B

Argumentorum, quibus orator vtitur ad persuadendum, duo sunt genera:

- Alterum sumitur ab illis rebus, quas ipse non excogitat, & ab illis locis, quos inartificiosos nobis liceat appellare, de quib. infra G.
- Alterũ tribus rationibus continetur:
  - Prima est, si orator vir innocens, & sanctus habeatur, quam opinionẽ assiduis orationibus, sanctis sacrificiis, ieiunijs, modestia consequetur, quæ sane opinio magnã vim habere consueuit ad extirpanda vitia, & ad virtutes inserendas.
  - Altera in hoc est posita, vt audientium animi ad aliquas affectiones, ad timorem, ad pœnitẽtiam, ad spem, ad lætitiam, ad luctum, quando opus est, & ad misericordiam, pro auditorum diuersitate, trahantur, de quo paulo post.
  - Tertia in oratione constituta est, vt probet orator, vera esse & saluti animarum accommodata, quæ dicit, quod fit
    - Exẽplo, de quo mox infra H.
    - Enthymemate de quo infra I.

H

Exemplum est cum ex aliqua re particulari rẽ particularẽ probamus, vt impietatem superbię, auaritiæ, libidinis, vitiorum, & calamitatum omnium altricem esse Mametanæ impietatis exẽplo cõfirmari potest.

exemplum debet esse
- Verum.
- Graue.
- Illustre.

Sumitur autem exemplum à

1 Christo, omnium virtutum exemplari. Ait enim: Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.

2 Sanctis Apostolis, martyribus, confessoribus, cæterisq́; omnibus, eo præsertim tempore, cum illorum sanctorum, quorum exempla sumimus, solemnitates celebrantur, atq; id maximam vim solet habere, si eorum sanctorum, qui eisdem ciuitatibus, vbi sermo habetur, præfuerunt, & quorum memoria gratissima colitur, in medium proferantur facta, aut sententiæ, vt Mediolani S. Ambrosij, Veronæ S. Zenonis.

3 Maioribus. sic Iudith ciues suos grauissima obsidione circumuentos, atque animo deiectos exemplo veterum patrum ad constantiam adhibeadam, & fidem in Deo habendam confirmat.

4 Nonnunquam, rarò tamen, ab ethnicis, & alienis, vt Saluator noster reginam Saba, & Niniuitas in exẽplum adducit, & illud inculcat sæpe: Nonne ethnici hoc faciunt.

5 Belluis, & rebus sensus expertibus. Habet magnã vim locus ille Isaiæ: Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui: Israel autem me non cognouit, & populus non intellexit.

1

Enthymema est syllogismus imperfect⁹. Syllogismus enim tribus partibus cõstat, propositione, assumptione, & complexione, ex quibus si vna praetermittatur, & in animo relinquatur fit enthymema. Vt si quis probet, eleemosynam esse laudandam, quia est virtus Christiana, omittit propositionem, quae est: omnem virtutem esse laudandam. Enthymema autem sumitur à

1 Signis
- Certis quae appellãtur etiam indicia, vt signum certum infidelitatis est Ecclesiae sacramenta contemnere.
- Incertis, vt signa charitatis incerta sunt, libenter singulos salutare, beneficus multos afficere, & huiusmodi.

2 Verisimilibus. Verisimile autẽ est, quod non simpliciter, nec absolute fieri solet. Vt verisimile est, virum bonum, bonis, & catholicis parentibus ortum haereticos fugere.

Ex his conficiuntur enthymemata, quibus vtitur orator ad faciendã fidem. Sumuntur autem aut
- A locis pprijs qui à causa, de qua agitur, assumuntur, qui tribus generibus, de quibus iam dictũ est, continentur.
- A locis, qui ab oratore non excogitãtur, quos inartificiosos nobis liceat appellare, de quibus infra G.
- A locis cõmunibus, qui sunt argumentorum sedes, & elemẽta. De his mox infra K.

In enthymematibus conficiendis hęc praecepta seruãda sunt, vt nec
- Eas res assumamus, quae à re ipsa longe amota sunt.
- Eas res assumamus, q̃ vulgares nimis videntur.

Ne passim assumptae videantur.

K
Loci communes sunt communes quædam notæ, quarum admonitu quid quæque res ualeat ad persuadendum, potest inueniri. Horũ pcipui sunt

1 Definitio, quæ est oratio explicans, quid res sit. hoc loco usus est beatus Basilius in oratione contra auaros: Quis est, inquit, auarus? qui eo, quod sufficit, non est contentus. Quis est prædator? qui quæ singulorum sunt, aufert. Tu autem non es auarus, non es prædator, qui quæ singulorum sunt, tibi propria facis?

2 Distributio partium, quæ est rei per partes explicatio, siue totius in sua membra diuisio, eleganter Hieremias propheta ex hoc loco probat in solo Deo gloriandum: Non glorietur, inquit, sapiens in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitijs suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse, quia ego sum Dominus.

3 Etymologia, quæ verborum originem inquirit, vt B. Hieronymus ad Nepotianum; Propterea, inquit, clerici vocantur, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars clericorum est: qui autem vel ipse Domini pars est, vel Dominum partem habet, talem se præbere debet, vt ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino.

4 Coniugata, quæ sunt ex verbis generis eiusdem, id est, quæ orta ab vno variè commutantur, vt sanctitas, sanctè, sanctus. ex hoc loco hoc pacto orator potest argumentari: Si Christiani sumus, Christianè viuamus, Christum imitemur.

5 Genus, quod de pluribus differentibus specie dicitur, vt omnis virtus est laudanda, ergo iustitia: Huc pertinet locus ille Ioannis: Qui facit peccatum, & iniquitatem facit.

6 Species, quæ est generi subiecta, vt adulterium, & homicidium à Deo separant, quæ est maxima putanda miseria, ergo peccata miseros homines efficiunt.

7 Similitudo, quæ est diuersarum rerum inter se collatarum similis quædam affectio. Vt ægra corpora quanto magis nutris, tanto magis lædis, teste Hippocrate: ita deteriores efficiuntur, qui impura conscientia sanctissimum Eucharistiæ sacramentum audent sumere.

8 Dissimilitudo, vt hæreticorum est ab Ecclesia Sancta Catholica recedere, noua dogmata confingere, scholasticos doctores contemnere: nos catholici Ecclesiam sequi magistram, vetustatis castissimos limites non transire, scholasticos doctores in honore habere debemus.

9 Contraria, de quibus infra L.

10 Adiuncta, quæ cum re sunt coniuncta, vt locus, tempus, vestitus,

stitus,& quæ theologi circunstantias vocant. B. Basilius hunc locum adhibuit in sermone de ieiunio: Ieiunantis color grauitatis plenus est, non in impudentem ruborem efflorescens, sed pallore modesto ornatus, placidus, & lenis oculus, sedatus incessus, vultus animi secum loquentis index, nulla intemperantis risus insolentia, moderatio linguæ, & cordis puritas.

11 *Antecedentia, quæ consequentibus necessario cohærent, vt Christus resurrexit, & nos resurgemus. est enim resurrectio nostra.*

12 *Consequentia, quę rem necessario consequuntur, vt prudens non est, quandoquidem res dubias affirmat. Insignis est locus apud Matthæum, vbi Dominus à consequentibus probat, pauperes spiritu, hoc est, humiles esse beatos, quia ipsorum est regnum cœlorum, & sic de cæteris, quas ibi proponit, nostræ peregrinationis beatitudinibus.*

13 *Repugnantia, quæ neque certa lege, neque ordine inter se differunt, quæ ratione à contrariis & à dissimilibus discernuntur, vt Qui diligit Deum, nō odit quemquam: si fato omnia fierent, tolleretur liberum hominis arbitriū, laus, pœna, virtus, vitium, gloria, inania essent nomina.*

14 *Causa, quæ est illa, cuius vi sequitur effectus: de hac infra M.*

15 *Effecta, quæ ex causis oriuntur, quorum, vt causarum, quatuor sunt genera, quæ causis cognitis facile intelliguntur. Hoc loco Saluator noster ostendit, se esse bonum pastorem, cum dicit: Ego sum pastor bonus. bonus pastor dat animam suam pro ouibus suis.*

Comparatio de qua infra N.

L

Contraria sunt eiusmodi, vt simul in eadē re inesse nequeāt: quæ quatuor habent species

1 *Aduersa, vt superbiam matrem omnium peccatorum scimus, humilitatem igitur fundamentum omnium virtutum amemus.*

2 *Priuantia, quæ sunt habitus, & eius priuatio, vt vita, mors, lux, tenebræ. Argumenti à priuantibus talis est formula: Misericordes, dixit Dominus, misericordiam consecuturos. qui igitur hac virtute carebunt, nullam misericordiam consequentur.*

3 *Relatiua, à quibus sic argumentum ducitur: Optabile cū sit beneficium accipere, multo optabilius conferre.*

4 *Contradicentia, quæ sunt affirmatio, & negatio eiusdē rei de eodem subiecto, quorum alterum affirmat quid, alterum negat, vt Christum diligit, qui eius præceptis paret: qui non paret non diligit.*

M
Causarum genera sunt quatuor

1 *Materia, ex qua res vel naturalis, vel artificiosa conficitur, vt materia hominis est corpus. ex hoc loco argumentatur propheta ad ostendendam idolorum vanitatem: Simulacra, inquit, gentium argentum, & aurum.*
2 *Forma, propter quam res est, vt anima est forma hominis. Ab hac sic ducitur argumentum: Anima præditi immortali, cur omnes nostras cogitationes, & spes in rebus caducis, & terrenis collocamus?*
3 *Efficiens, à qua aliquid est, vt homo à Deo est, & ab alio homine. Hinc argumentum duxit propheta ad probandum Deum humana curare, Qui plantauit, inquit, aurē, non audiet? & qui finxit oculum non considerat.*
4 *Finis, cuius gratia aliquid est, vt homo factus est ad æternam beatitudinem. stulti igitur, qui in voluptate, in diuitijs, in honoribus beatitudinem collocant.*

N
Comparatio est, cum argumentum ducitur aut à

Maiori ad minus, vt D. N. Iesus Christus nobis maxima, & grauissima peccata, quæ quotidie committimus, dimittit. & nos leuissimas fratrum nostrorum iniurias ferre non possumus?
Minori ad maius, vt illud: Diebus dominicis laici sumunt sacramentum Eucharistiæ, cur non Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, aut etiam sæpius?
Pari, vt Quemadmodum pastores consulunt saluti sui gregis, reges suorum populorum, medici morbo affectis corporibus: ita pastores animarum prodesse debent ijs, quibus præsunt.

G

Loci, qui ab ab oratore non excogitanī, quoſq; nobis liceat inartificioſos appellare, ad hæc capita redigi poſſunt

1 Sacras literas, quarum magna eſt — Auctoritas, quā quidquid ſacris literis continetū, id veriſſimū eſt, & veluti ex ore Dei prolatū. Fœcunditas, quoniam quæcunq; pulchra ſunt cognitu ac vitæ hominū vtilia in illis reperiunt.

2 Traditiones Chriſti, & Apoſtolorum, vt ſanctiſſimi ritus, & cæremoniæ, quæ in ſacramentis adhibentur: & huiuſmodi, quæ, quoniam ſcriptæ non ſunt, ſed de aure, vt aiunt, in aurem ab Apoſtolicis temporibus ad nos vſq; peruenerunt, viuæ vocis oracula rectiſſime dici poſſunt. quarum quanta ſit auctoritas, beatus Cyprianus oſtendit, cum dicit: Vt par eſt ſpiritui Sancto, & Chriſto diuinitas: ita in ſuis inſtitutis æqua eſt auctoritas, & poteſtas, nec minus eſt ratum, quod dictante ſpiritu Sancto Apoſtoli tradiderunt, quàm quod ipſe tradidit.

3 Auctoritatem Eccleſiæ, quam Chriſtus ſibi ſponſam vnicam delegit, cum eaq; omnibus diebus vſq; ad conſummationem ſæculi ſe affuturum promiſit, vt admoneremur, ei in omnibus eſſe parendum, & quidquid illa tanquam fidei dogma tenet, veriſſimū eſſe, nec quicquam falſum, quod aut credit, aut docet eſſe credendum.

4 Auctoritatem ſedis Apoſtolicæ, quæ ſatis eſt firmum argumentum ad faciendam fidem, quia ſummus Pontifex eſt Chriſti Vicarius, ac legitimus ſucceſſor Petri, eandem, quam Saluator noſter tribuit Petro, non ſolū auctoritatem, ſed etiā fidei firmitatē habēs.

5 Auctoritatem conciliorum, quæ à ſpiritu Sancto congregata fuerunt, quibus tanta fides eſt adhibenda, quanta Euangeliſtis, nimirū quia idē magiſter eſt ſpiritus Sanctus, & idē auctor Chriſtus.

6 Auctoritatem Sanctorum Patrum, qui ope ſpiritus Sancti ita ad veram ſcripturæ ſacræ intelligentiam penetrarunt, vt in ijs, quæ ad fidem pertinent, non modo non errauerint, ſed mirabilis etiam omnium conſenſus extiterit.

7 Hiſtorias grauiſſimorum hominum, qui ſi in eandem ſententiā conueniunt, ex eorum auctoritate firmum argumentum, atq; etiā fidei dogma promi poteſt. Verbi cauſa beatum Petrum Romæ & collocaſſe ſedem, & pro Chriſto martyrij gloria coronatum eſſe, omnes graues hiſtoriæ tradunt. Vnde certa argumentatione concludi poteſt: Romanum Pontificem Petro in Pontificatu ſuccedere.

8 Sententias philoſophorum, quorum magna eſt auctoritas cum, præſertim de remittendis iniurijs, de contemptu mundi, de minime formidanda morte agitur.

DICTVM est oratorem Ecclesiasticum persuadere docendo, mouendo, & conciliando. loci, qui ad docendum valent, sunt explicati. Dicamus nunc quomodo possit cōmouere. Vt autem quis auditorum animos commoueat, debet ipse esse commotus, quod consequetur

Si, quod prædicabit, operibus cōprobare studuerit.

Si non nisi zelo Dei, & studio salutis animarum, dicendi munus susceperit.

Si præstantissima charitatis virtute accensus fuerit.

Si rem ipsam, de qua dicturus est, diligenter cōsiderauerit, & ea ex sacris literis, præsertim ex prophetis, qui fuerunt cælestes (vt ita dicam) oratores, legerit, in quibus idem aut similis locus explicatus est. Verbi causa cupiēs auditoribus diuinæ vltionis timorem incutere, legat Isaiam prophetam, qui illum locum tractat his uerbis; Abiecerunt legē Domini, ideo iratus est furor Domini in populum suum, & percussit eos, & cætera.

Si precibus, & sanctis sacrificijs inuocauerit Sanctum Spiritū, vt pro se loquatur, ipse suggerat, ipse doceat.

Cum commotio sit quædam mentis incitatio, sine qua ingrata, & exanguis fit oratio, dabit operam orator, vt sicut sanguis per totum corpus diffunditur: ita in omnibus orationis partibus quædam insint, quæ ad commouendos, & afficiendos animos auditorum valeant. Affectiones autem, vt Aristoteles scripsit, sunt mediæ inter virtutes, & vitia, quia

Si in cælum ferantur, virtutes pariunt.

Si in terra nascuntur, pariunt vitia.

Omnium affectionum fons est amor

Rect' bonarum. Quo loco excitãdi sunt auditores

1 Ad amorem Dei, & pluribus verbis ostendendum

Deum esse amabilissimum, quia optimus, quia benignissimus, quia pulcherrimus, immo quia fons bonitatis, benignitatis, pulchritudinis, & omnium bonorum.

Deum esse diligendum, quia Dominus clementissimus est, quia dissimulat peccata nostra expectans nos ad pœnitentiam, quia nos tuetur, quia bona omnia nobis largitur, quia hæreditatem sanguine filij sui nobis præparauit æternam.

Peruersus malarũ, quas orator fludere debet ab auditorum animis amouere

2 Ad amorem, & desiderium cœlestis patriæ & dicendũ

Verissimum illud esse: Nec regnum, nec amorem socios admittere.

Fieri non posse, vt idem diligat Deum, & mundum.

In eo, qui diligit mundum, non esse charitatem Dei.

Nulla ratione fieri poße, vt præsentibus quis fruatur, & futuris bonis, & in vtroque sæculo appareat gloriosus, & de delicijs transeat ad delicias.

Nos, qui vtimur hoc mundo, sic eo vti debere, tanquam non vtamur.

Vere mundum esse hypocritam, cum insidiarum, & dolorum plena sint omnia.

De præteritis voluptatibus nihil nos habere, nisi reatum, de futuris nihil, de præsentibus solum nunc, quod scimus, quàm sit fluxum.

Hanc vitam esse vapori, & nebulæ similẽ, quæ cito, solis radio apparẽte, resoluĩt.

3 Quidã boni viri, ad amandos se ipsos, hoc est, ad amãdam hanc uitam

Cum eam populis vtilem ipsi, aut boni viri iudicauerint, nimirum vt alijs prosint.

Vt sanctarum virtutum vsu cęlestem patriam magis mereantur.

4 Ad amorẽ proximorũ, & ostendendum
- Ad amorem proximorum nos impellere naturam.
- Diligendum proximum non lingua, & verbo, sed opere, & veritate.
- Diligendum proximũ, vt nos Christus dilexit, cuius amor fuit gratuitus, vehemens, & constans.
- Eundem nos patrem habere Deum.
- Eodem preciosissimo Christi sanguine nos esse redemptos.
- Eundem nos habere magistrum Spiritum sanctum, & eandem matrem Ecclesiam.
- Eisdem nos sacramentis vti.
- Eiusdem nos terræ filios.
- Ad eandem nos patriam aspirare.
- Vere nos esse fratres.
- Communicanda omnia nostra, hoc est, ad communem vtilitatem conferenda, ingenium, memoriam, linguam, & huiusmodi.

5 Parentes ad amorem filiorum, quibus dicendum est vt
- Filijs procurent ea bona, quibus abuti nunquam possint, Christianas virtutes, in primis timorem Dei.
- Caueant ne filios suos erudiant.
  - Ad iracundiã sua iracũdia
  - Ad auaritiam suis sordib[9].
  - Ad blasphemiam impuro suo ore.
  - Ad contumeliam, luxuriã, ac insolentiam male partis diuitijs.
- Virgæ non parcant.
- Indulgentia filios deteriores non efficiant.

6 Filij ad amorem parentum, & probandum
- Multo vehementiorem esse amorem parentum in filios, quàm filiorum in parentes, quia est diuturnior, & quia de sanguinis coniunctione sunt certiores.
- Grauissimum scelus esse iniuria afficere eos, qui de se ipsis ita sunt benemeriti, quibus organis vsus est Dominus, vt in hanc lucem venirent.
- Ingratos filios sine dubio vltorem Deum habituros.

7 Coniuges ad mutuum amorem
- Viri, Reprehendendi sunt ij
  - Qui ardentius amãt vxores suas, quàm decet.
  - Qui vt mancipia, vxoribus seruiunt.
  - Qui vxorum vanitati ita indulgent; vt patrimonium consumant.
- Vxores, quæ excitandæ sunt ad fidem seruandam, & sæpe dicendum
  - Bonas vxores de virorum suorum salute esse sollicitas.
  - Sanctificatos multos viros infideles per mulierem fidelẽ quod Valeriani, qui sanctitate Cæciliæ sanctificatus est, exemplo confirmari potest.

8 *Ad amandā patriam, id est, ad desiderandū, vt bona, ac beata illa sit, atq; præclaris legibus, ac bonorum omnium generib⁹ cumulata. Ostendendum autem est*

- *Vrbem Romam cōmunem omnium Christianorū esse patriam, in qua est sita Sacrosancta Sedes Apostolica, pro qua vel mori pulcherrimum, & honestissimum est.*
  - *Si Ecclesiam parochialem orare studeat.*
  - *Si puerorum curam habeat, ac si filij essent.*
  - *Si res communes recte administret.*
  - *Vt caueant, ne se mutuo blandis vocib. amicos, & fratres appellantes, odio habeant.*
  - *Ne domestici sint inimici, & animarum suarum interfectores.*
- *Inde cognosci, si quis vrbē, aut oppidū, vel villā in qua natus est, diligat*
- *Mortuos esse pro patria multos apud Romanos: multo æquius esse mori p defensione religionis, & multo optabilius nobis, qui vitam expectamus æternam.*

- *Amicorum, qua de re agens orator auditoribus dicat*
  - *Sanctum nomen esse amicitiæ, consensionem animorum in Sancta religione, in amando Deo, in Christianis virtutibus exercendis.*
  - *Qui idem volunt, cum volunt ea, quę legi Dei aduersantur, inimicos rectius appellandos, quàm amicos.*
  - *Dolendum, nomen amicitiæ à repub. Christiana tāquam in exilium missum.*
  - *Illos etiam, quos Sancta mater Ecclesia coniunctissimos eße vult, quos compatres nominat, nullam filiorum communium curam habere.*
  - *Ad licentiā, ad multa plerūq; peccata Sanctam illam coniunctionem adhiberi solitam.*
  - *Eorum cor vnum esse debere in Christo, & omnia habere communia, fidem, spem, charitatem, participationem sacramentorum, delectari eisdem ieiunijs, eisdem orationibus, lectione eorundem sacrorum librorum.*

9 *Ad sincerum amorem.*

- *Deplorandum, inter Christianos reperiri, qui inimicitias profiteātur, et exerceant, & vlcisci iniurias honorificū, & gloriosum putent.*
- *Inimicorum quo loco ostēdat orator*
  - *Diligēdos inimicos quia omnes sum⁹*
    - *Ad imaginem Dei effecti.*
    - *Eodem preciosissimo Christi sanguine redēpti.*
    - *Ad eandem cœlestem hæreditatem vocati.*
    - *Fratres, & cohæredes.*
    - *Eiusdē peregrinationis socij.*
    - *Eiusdē terræ filij.*
    - *Eiusdē regis serui.*
    - *Eiusdem infirmitatis humanę participes.*

Inimicorum dilectione ad sananda peccatorum vulnera nullum esse vtilius medicamentum.
Magistrum, & regem nostrum Christum præcepisse, vt diligeremus inimicos nostros.
Nulla nos virtute posse Deum magis imitari, quàm inimicorum dilectione.
Dilectionem inimicorum esse magnificentissimam bonitatem, & triumphum nobilissimum, & cumulum præstantissimarum virtutum.
Magnam mercedem promissam diligentibus inimicos, quæ expressa est in Euangelio illis verbis: Eritis enim filij altissimi, hoc est, fratres Christi, possessores cæli, socij angelorum, à Sathanæ tyrannide liberi.
Dilectionem inimicorum parere maxima commoda, tranquillitatem animi, filiorum disciplinam, propinquorum, & vicinorum beneuolentiam, patrimoniorum incrementa, prudentiæ opinionem.
Sathanæ inuenta fuisse illa de singulari certamine cõscripta.
Honorem in seruandis Dei præceptis esse positum.
Vlcisci iniurias abiecti esse animi, & eius, qui imperatoris nostri Christi leges, & vitam nolit imitari.
Christum pepercisse illis, qui eum crucifixerunt, & pepercisse, ac quotidie parcere nobis illum identidem, quantum in nobis est, peccatis nostris crucifigentibus.
Audiendum magistrum nostrum, obtemperandum regi nostro, atque saluti nostrarum animarum dilectione inimicorum consulendum.

10 *Ad resignationem in Deum, quæ ex amore Dei proficiscitur, ad quam excitans orator auditores eos hortetur.*

Vt collocent omnes suas spes in Deo.
Nihil deesse volatilibus cæli, multo minus necessaria Christianis, qui fratres Domini, filij Dei adoptiui, hæredes futuri cælestis patriæ sunt, nullo vnquam tempore defutura.
Qui seruiunt regibus, quò modestiores sunt, eò gratiores esse consueuerunt: multo magis id seruis Dei conuenire, qui nihil aliud petentibus, nisi vt fiat volũtas eius, multò plura solet cõcedere, quã ipsi ausi fuissẽt petere.

11 Ad zelum honoris Dei, ad quē hoc modo excitandi sunt

- Ii, qui prȩsunt alijs, vt considerent, num
  - Pauperes opprimantur.
  - Occidantur vsuris homines.
  - Voluptas corrumpat animos eorum, quibus præsunt.
  - Hæresis aliqua ratione possit irrepere.
  - Praua aliqua consuetudine ciuitas contaminetur.
  - Otio præstantia corrumpantur ingenia.
  - Populus in doctrina Christiana instituatur.
  - Eos esse Dei ministros, populorum patres, exemplaria virtutum ad imitandum proposita.
  - Grauissimam pœnam illos daturos, qui sua gubernatione deteriores homines effecerint.
- Sacerdotes, vt diligētius, quā solet zelotypus vxorem suam, ipsi
  - Populum custodiant, obseruent, instituant, corrigant, diligant.
  - Sȩpe de moribus singulorū interrogent.
  - Non parcant sceleratis, & flagitiosis.
  - Nonnunquam improuiso adeant oppida, Ecclesias, vicos, vt explorent.
  - Imitetur magistrum magistrorum Dominum, qui eiecit nummularios de templo.
  - Acriter accusabit deambulantes in Ecclesia sancta Dei, non audientes verbum Dei, irridētes sanctos homines, qui frequentia sanctissimorum sacramentorum delectantur.



Affectionū genera sunt quatuor

1 Dolor, cuius species sunt

1 Ira, hoc est, zelus honoris Dei quæ ira est, cum dolore in eum concitari, qui

Deum cœli, & terræ Dominū offendit. In beatā Virginē Mariam, & Sāctos cōtumeliosus est. Innocentes viros iniuria afficit.

Ad hanc cōmotionem concitandus est populus aduersus hæreticos, & publicos peccatores, ita tamen, vt, qui audit intelligat

Orandum esse pro iis, quibus irascitur.

Nihil esse, cum de honore Dei agitur, mansuetudine amabilius, & nihil Deo, atq; bonis viris acceptius.

Ad hanc impellendi sunt animi, quia est

Compositio animi.

Frænatio iracundiæ.

Amicitiarū cōciliatrix.

Bonæ existimationis nutrix.

Discordiarū expultrix.

Iucū dissima humanæ vitæ socia.

Pœnitentia, de qua sequenti tabella vbi †

2 Misericordia, de qua mox Q

2 Timor R

Gaudiū S

Spes T

De quibus infra.

c

Salutarem esse dolorem voluntarium.
Pœnitentiam esse peccatorũ medicinam, sine qua qui è vita peccatis cõmaculati decedunt, perpetua morte condẽnantur.
Pœnitentiam eße iniquitatem interitum, lacbrymarum alumnam, salutis spem, donum cœlitus datum.
Pœnitentiam non fornicatorem renuere, ab ębrio non auerti, nõ abominari idololatram, non adulterum repellere, nõ maledicum insectari, non reprobare blasphemum, nõ superbum: sed omnes suscipere, omnibus communicare, omnibus cœlum aperire, omnes ad cœlestem illam patriã ducere.
Per pœnitentiam grauissimo peccatorum pondere animam liberari, ita vt vsq; ad cœlum facile poßit euolare.
Per pœnitentiam regnum cœlorum ad homines appropinquare.
Quasi à facie colubri fugiendum peccatũ, quia parit mortem.
Nihil esse calamitosius, quàm peccare, quàm disiungi à Deo, Christi acie deserta, veluti transfugam diabolo seruire.
Ingratum esse peccatorem in Deum patrẽ benignissimum, crudelem in semetipsum, qui natus ad vitam æternam, propriæ salutis inimicus se ipse perdat.
Peccati comitem eße plerunq; infamiam.
Pauperes, obscuros homines, atque etiam corpore infirmos non esse miseros, si bene actæ vitæ conscientia sustententur, miseros esse qui peccant.
Conscientiam esse domesticum, & verum tribunal.
Nihil esse detestabiliꝰ excusatione peccati.
Sic instituendam vitam, ut nosmetipsos accusemus, & doleamus, confiteamur peccata nostra, & satisfaciamus.
Maximas pœnas illos daturos, qui non egerint pœnitentiam.

Ad pęnitentiã excitandi sunt auditores, & dicendum.

Ad has pęnitentiæ species excitãdi sunt auditores, scilicet ad
Luctum, de quo mox infra O.
Ieiuniũ, de quo paulo post P.

O Doloris frater; et penitētię filius est luctus nobilis Christianorū virtus, vanitatis et stultitiæ expulsor, sapiētiæ socius, & beatitudinis fidelissimus comes. Ad hunc excitās orator auditores, dicat

Summam in hoc apparuisse Dei benignitatem, ut, quod ipse primę mulieri peccanti, tanquam peccati pœnam dedit, cum dixit: In tristitia paries filios tuos, in salutem humani generis voluerit conuerti: nam sicut tristitiam peccatum peperit: ita & tristitia peccatum conterit.

Luctus præoccupādam pœnam, quā pro suis quisq; peccatis meretur.

Rogum peccatorū lachrymis extinguendum.

Respondendum iudici prius, quàm in prætorium veniat.

Deflendum non pœnam, sed peccatum, & deflendum amare, quemadmodum & Petrus.

De profundis clamandum, & deducendos fontes lachrymarum, quò Dominus misericordia motus peccata dimittat.

Lugendum maxime nobis esse, quòd

Nosmetipsos ignoremus, ac perditè nimium diligamus.

In huius vitæ peregrinatione non secus, ac si nunquam essemus morituri, nobis ipsi placentes, non Deo, viuamus.

Imaginem Dei, ad quam formati sumus, deturpemus.

Exules, obliti cœlestis patriæ, hunc mundum patriam nostram esse ducamus, hæredesq; amplissimi regnū hæreditate nosmetipsi priuemus.

Filij Dei adoptiui, & fratres Christi, eius preciosissimo sanguine redempti filij diaboli culpa, & ignauia nostra efficiamur.

Puluis, cinis, vmbra cum simus, multa nobis arrogemus, & in hominibus, quorum proprium est decipi, & decipere, spes collocemus.

Charitatis, quæ est virtutum omnium anima, expertes nec patientes simus, nec benigni, plerunque inuidi, quæramus tantum, quæ nostra sunt.

Cupidiores huius vitæ, quam oportet, in Dei voluntate non conquiescamus.

Nimium sæpe studium in rebus non necessarijs ponentes, tempus conteramus.

Verborum aucupes, inanis gloriolæ cupidi, semper discentes, & nunquam ad scientiam peruenientes, vulgus pessimum magistrum sequamur.

Adulemur nobismetipsis, dulci laudum veneno delectemur.

Veluti morbo phrenetici diuinitus nobis traditas medicinas auersemur.

In rebus aduersis animū abijciamus, in prosperis efferamus.

Varijs huius vitæ fluctibus, aut non perueniamus in portum, aut in portu naufragium faciamus.

In huius vitæ militia aut simus transfugæ, aut si interdum ad Christi castra reuertamur, miserabiliter vincamur.

Ea, qua opus esset, animi constantia sub vexillo Christi non militemus.

Lugēdos cōmunes orbis terræ morbos,

Nusquam tutam fidem.

Virtutē plerunq; iacere.

Innocentes opprimi.

Improbis honores deferri.

Contaminatam, atq; corruptam esse D. N. Iesu Christi sanctissimam religionem peste variarum hæresum.

Sanctæ Ecclesiæ, matris nostræ nouos quotidie inimicos exoriri.

Regnare impietatem.

Dominari crudelitatem.

Imperare tyrannicā libidinē, quo loco de calamitatibus reipub. Christianæ, & de Turcarū tyrānide multa hoc tēpore possūt accōmodari.

P

De ieiunio agens orator Ecclesiasticus, et ad illud excitans auditores, ostendat

Ieiunium non solum ad iram Dei placandam, & peccata expianda, sed sæpe etiam ad impetrandū aliquid à Deo, adhiberi cōsueuisse; quod multis exemplis poterit cōfirmare.

Ieiunium dæmones fugare, Dei sententiam reuocare, scelerū furorem reprimere, in veram libertatem vindicare, summamq; pacem, & tranquillitatem afferre.

Deum hominem à principio condentem in paradiso eum ieiunij lege cohibere voluisse, cum dixit. De omni ligno paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas: multò magis illud extra paradisum esse necessariū.

Necessario nobis ad bene viuendum à ieiunio auxilium esse petendum.

Q

Doloris species est misericordia, q̄ ex alterius miseria nascitur. Hæc in auditorū animis est excitanda, ita vt misereantur

1 Animæ suæ, quod est misericordiæ caput.

2 Eorū, qui viuunt: & probandum

Omnes esse pauperes, & Dei misericordia egere: solos tamen illos esse miseros, qui carent misericordia.

Artem quæstuosissimam esse eleemosynam, misericordiæ filiam.

Sanctam quandam fœnerationem distributionem pecuniarum in pauperes.

Diuites plerunque auaros esse, fraudatores, raptores.

Quò quis plures habet filios, eò diligentius eleemosynis ei inuigilandum, vt propitium Deum eis efficiant.

Qui esurientem non pauit, eum occidere.

Mandasse Dominum vnicuique de proximo suo.

Domini esse terram, & plenitudinem eius, orbem terrarum, & vniuersos, qui habitant in eo.

Diuites esse dispensatores diuitiarum Dei.

Eleemosynam peccatum extinguere.

Eleemosynam maximum esse beneficium, (vt inquit Sanctus Cyprianus) tam salutare, & tam facile nobis relictum remedium.

3 Mortuorum, eorum nimirum, qui in Purgatorio degunt: quorū sordes, hoc est, ea peccata, quæ iusta pœna, & satisfactione prorsus deleta non fuerunt, purgatorio, vel (vt D. Augustinus scribit) emendatorio igne purganda sunt. Qui audiēdi sunt quasi aui, & ataui ex illo loco illas voces emittant: Miseremini mei saltem vos amici mei, &, vt ab illa, in qua sunt, calamitate liberentur, adiuuandi

Suffragijs nostris.

Sanctis sacrificijs sacerdotū.

Orationibus.

Ieiunijs.

Eleemosynis.

R

Timor est dolor ob malũ imminens. Oia immi nent mala non timẽtibus Deũ. Timere autem Deũ, est, nihil eorũ, quę agenda pręcepit, omittere vt S. scribit Gregorius, ad quem excitandum hi loci erunt aptissimi timendũ Deũ quia

Omnipotẽs. Dixit enim, & facta sũt. creauit uerbo omnia, caq; tuetur, ac regit.
Iustus, q rerum ordinem nõ patitẽ peruerti, honorem sibi adimi non permittit: ciuitates, puincias regna ob peccata euertit.
Dominus quo nomine sæpè vtitur, dicens. Ego Domin⁹: ad terrẽdos eos, qui eius imperiũ nõ agnoscũt.

Ad timorẽ Dei excitans orator declaret

Verba prophetarũ, q̃ tanquã diuinæ voces sunt pferẽda, vt illa. Dominus sanctus, & fortis, æmulator est, nec ignoscet sceleribꝰ vestris, & si seruietis dijs alienis, cõuertet se, & affliget vos, atq; subuertet. & illa Isaiæ de tremendi iudicij die loquẽtis: Vlulate, quia propè est dies Domini, quia vastitas à Domino veniet.
Neminem potuisse, nec posse effugere diuinam iustitiam.
Quo diutius dissimulat Deus peccata hominum propter pœnitentiam, eo grauiores pœnas illos manere, qui in peccatis persistunt.
Vitæ breuitatem, inopinatam, & immaturam multorum mortem ad timorem nos erudire.
Varios morbos, sterilitatem, varias calamitates, accerrimos aduersarios, quibus cum perpetua pugna nobis est, timorẽ Dei maxime excitare, in primis Diabolũ, qui, tãquam leo rugiens, circuit, quærens, quẽ deuoret.

Ad timorem Dei excitãdi ij maxime sunt, quib. omnia è sententia eueniunt, ac ppterea efferunt: atque eis proponẽda sunt illa verba B. Hieronymi: Vbi tranquillitas ibi tempestas est quæ explicans orator dicat

Tunc maxime oppugnari Christianum, cum se oppugnari nescit.
Grauiores illos esse morbos, qui non sentiuntur.
Rerum affluentiã, ac prosperitatem insolentiæ matrem esse consueuisse.
Sapientes viros, et apud ethnicos, orare Deum solitos, ut aliqua ratione eorum prosperitatẽ temperaret. quod præceptum Christianis in primis cõuenit, quorum proprium est benefacere, et mala pati, quibus cum acerrimis, & grauissimis inimicis pugna est, &, nisi certẽt, coronã non consequentur.
Christianos decere, semper esse pauidos, & veluti peregrinos, de cœlesti patria semper esse sollicitos.
In rebus prosperis inconstantiæ huius mũdi recordandũ.
Mortem, quæ longe abesse non potest, ante oculos habendam.
Deum largitorem omnium bonorum agnoscendum.
Magnam bonorũ copiam Dominum quibusdam largiri, vt commodius possint reb. diuinis animũ intendere, & vt ad magis cognoscenda diuina beneficia et ad gratiarũ actionẽ excitentur

Pudor siue verecundia magnam cum timore affinitatē habet. est enim quædam extenuatio animi ex malis orta præsentibus, aut præteritis, ob quæ subeunda sit ignominiæ alicuius nota: ad quam excitari auditores debent, argumentis in primis sumptis à contrarijs, cum nihil poßit esse tam alienum à Christiano, quàm impudentia, quæ est

- *Contemptus earum rerū, quas uerecundi maximè reformidant.*
- *Flagitiorum magistra.*
- *Disciplinæ aduersaria.*
- *Superbiæ filia.*
- *Calamitatum socia.*

Ad pudorē, siue verecundiā excitandi sunt auditores, & declarādum, quàm sit turpe, & ignominiosum.

- *Deserere aciem Christi, & transfugere ad Sathanam.*
- *Membra Christi contaminare.*
- *Imaginem Dei transformare in naturam bestiarū: quod voluptatibus in primis fit.*
- *A fide parentum recedere.*
- *Extra Ecclesiam viuere.*
- *Sanctißimis sacramentis morborum animæ remedijs salutaribus nolle vti.*

S

Ad gaudium auditorum animos excitabit Ecclesiasticus orator,

Cũ maxima beneficia, quę diuinitus nobis collata sũt, commemorabit & ostendet, gaudendum esse, quia

- *Cum nihil eßemus, homines facti sumus, ad imaginem cęli, & terræ Domini, mente, & ratione præditi.*
- *Deum cognoscimus, & creatoris pulchritudinem, artes, & disciplinas percipimus, ac veluti per quasdam notas, Dei prouidentiam, & sapientiam legimus.*
- *Discernimus bonum à malo, & bonum appetere, ac malum fugere à natura sumus edocti.*
- *Alienati à Deo ob peccatum, iterum precio sanguinis D. N. Iesu Christi gratiam recuperauimus, à miserrima Sathanæ seruitute liberati.*
- *Spem resurrectionis habemus, & societatem angelorum, ac cœleste regnum expectamus.*
- *Eiusdem patris, qui est omnium pater, omnes sumus filij.*
- *Eandem sanctam Ecclesiam, cuius lacte enutriti sumus, habemus matrem.*
- *Communis omnium Christianorum est hæreditas.*
- *Rebus aduersis, quibus nos corrigit Deus, vt verè filios, non autem vt adulterinos, ostendit se diligere.*
- *Nobis grauissimis morbis laborantibus nõ deest medicus, neq; medicina Christus Iesus, qui nobis in huius vitæ peregrinatione tutissimã viã demonstrat, in hac erroris caligine veritatẽ aperit, ĩ hac vmbra mortis vitã pstat.*
- *Oratione in cœlum quasi ascendamus, qua diabolo possumus resistere, & per eam cum Deo coniungi.*
- *Paterna Dei prouidentia gubernamur.*

Cũ de frequentia sanctissimorum sacramẽtorum præsertim Eucharistię, sermones habebit & dicet

- *Panem esse, qui de cœlo descendit, vt si quis ex illo manducauerit, non moriatur, panem vitæ, salutarem animæ nostræ cibum.*
- *Licere nobis, si volumus, vesci ambrosia illa cœlesti, & cum Christo coniungi, quo nihil potest esse præstantius, aut optabilius.*
- *Quotidianum esse panem, ideoq; non esse semel tantum in anno sumendum.*
- *Quò sæpius eũ quis sumit, eò trãquillicrẽ vitã agere.*

Cum nuntiabit plenarias indulgẽtias, siue Iubilæa, quæ, ita Spiritu sancto edocente, Sũmi Pontifices, Christi Vicarij, fidelibus largiri iustis de causis consueuerunt. Lætãdum est enim, ꝙ post multa peccata, quæ grauiter punienda essent, postquam Deus culpam sacramento pœnitẽtiæ, aut contritione nobis remiserit, Romanus Pontifex pœnas etiam remittat ex meritis

- *Preciosissimis sanguinis Christi, cuius vna gutta sufficeret ad redimendos omnes, qui fuerunt, qui sunt, & qui futuri sunt homines.*
- *B. Marię virginis.*
- *Sanctorũ omnium.*

Rebus aduersis affligi, & tentari homines aut vt eorum — Virtus tanquã aurum in fornace probetur, & exerceatur. Peccata expiētur.

Tribulationes, & tentationes erudire homines ad multas virtutes ad Humilitatem. Patientiam. Prudentiam.

Deum hac ratione reprimere illos, qui reb. secundis insolētes fiunt.

Tribulationem esse pędagogum ad timorem Dei; esse expultricem contumeliæ, incontinentiæ, vanitatis.

Ad gaudiū excitãdi sũt ij, qui rebus aduersis animo deiecti sunt, atque dicendum.

Verissimas esse illas sententias: Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum: Iuxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde.

Nullum esse malum, ex quo elici non possit bonum.

Multo melius esse probari, & tētari, quam nō tētari, & reprobari.

Non esse miserum corripi à Domino, plagis affici à patre, cum ipse dixerit: Quos amo corrigo, & castigo.

Miserum esse, plagis cœlestis patris non fieri meliores.

Tribulationes, vt inquit Origenes, extorquere à nobis preces, earumq́; quantitate mensuram colligi gloriæ.

Mala, quæ nobis accidũt, plerũq; nobis accidere propter peccata. Omnes calamitates oriri, grãdines de cęlo cadere, terræmotus, & horribiles fluuiorum inũdationes vastare ciuitates, fame, peste, bello, sęuissimisq́; tyrannis, tanquã instrumẽtis, Deũ vti, quia alius

Pauperem oppressit, terręq́; partē occupauit.

Limites suos sceleratè vel fraude, vel vi extendens, domum domui, & agrum agro adiunxit, vt vicino aliquid extorqueret, & hoc maxime studuit, vt vicinũ nullum haberet, perinde ac si solus esset habitaturus in terra.

Vsuris terram fœdauit, colligens, vbi non seminauit, & metens, vbi non sparsit, non ex cultura, sed ex pauperum egestate, & penuria diuitias suas augens.

Decimis debitis Deum, cœli, & terræ principem, defraudauit, immemor maximorum, quæ accepit, beneficiorum.

Nec viduæ, nec orphani calamitatibus commotus, nec panem, cibumq́; exiguum pauperi, immo Christo, dedit.

Humiles contempsit.

Monentem odio habuit.

Opes industriæ suæ, non Deo, acceptas retulit.

Frumentum mercatus, sordidum quæstum ex eius caritate captans, ita cogitat: Quando effluet mensis, vt rerum pretia augeam, & thesauros recludam?

Ad spē maximē excitant christianos homines

Dei bonitas.
Christi passio.
Multorū martyrū beatæ mortes, quib° ad uitā peruenerūt ęternam.

In solemnitatibus autem in primis ad spem oratorauditores excitare poterit, vt Sācliſſimo die natalis Domini, si ad populū sermonem habebit, dicet

Venisse in mundum filiū Dei, vt cæli ianua aperiretur.
Factum hominem, vt nos aliquo modo Dij efficeremur.
Illum esse diem redēptionis nostrę, reparationis antiquę, & fœlicitatis ęternæ.
Sublatos esse errores, quoniam venit magister ad ignorātiæ tenebras depellendas.
Ad morbos animi sanandos venisse medicum.
Regem natum esse, qui tyrannidem diaboli deprimeret, & mortem etiam ipsam profligaret.

Sed cauēdū est clericis, ne spē in auditorum animis excitantes, inanem fiduciam inducāt: ex qua tot hæreses, tot calamitates profectæ sunt. quamobrē temperanda est semper oratio, ita ut dicat, Dominum

Venisse quidē in hunc mundum, sed vt volētibus tāktum ingredi portas cœli aperiret.

Sanare quidem grauissimos morbos, quibus laboramus: sed minime sanare eos, qui medicinam, & medicū respuūt.

Magistrum esse omniū, minimē autem infœlicium, qui disciplinā negligunt.

SI ad populum timore imminentis periculi perterritum habendus est sermo, ad excitandam in eo spem, afferendę sunt prophetarum grauissimæ sententiæ, vt illa Isaiæ: noli timere, popule meus: Assur in virga percutiet te, & baculum suum leuabit super te in via Ægypti adhuc paululum, & modicum, & consumabitur indignatio mea, & furor meus super scelus eorum, & suscitabit super eum Dominus exercituum flagellum. & huiusmodi.

Quoniā vniuersa Christiani orbis respubl. imaginē refert nobilissimi cuiusdā corporis præstantissima anima formati, dicat orator Christianæ reip.

- *Animam esse religionem.*
- *Corpus varia auditorū genera.*
  - *Huius corporis mēbra sunt*
    - *Sacerdotes.*
    - *Imperator.*
    - *Reges*
    - *Principes.*
      - *Hanc formā proponet orator adhuc usum, vt doceat*
        - *Manendum vnicuiq; in vocatione sua.*
        - *Difficillimum esse imperare sibi, nedum ceteris: ideo nō inuidendū sacerdotibus, nō inuidendū regibus, orandum potius pro illis: cōsilio, ope, & diligentia iuuandos, vt onus sustineant.*
        - *Carere reges, & principes, episcopos etiam, & sacerdotes huius vitæ solatijs.*
        - *Eorum vitam plenam periculis, laboribus, & sollicitudinibus.*
        - *Plerunq; illos falli: vt illis detrahere, magnum sit peccatum.*
        - *Rectè illud dici posse, esse illos seruos, quia commodis aliorum, ad illos in primis spectat, seruire.*
        - *Nihil esse tutius, nihil optabilius, quàm parere, quàm sibi viuere, & ad vitam æternam aspirare.*
        - *Modò magistram quispiam nō respuat, matrem, & nutricē sapientiæ, sanctam matrem Ecclesiam, nihil potest accidere, ex quo bonum quisq; non possit excerpere.*
        - *Non bonos principes interdū esse pharmaca diuinæ iustitiæ.*
        - *Si populus in vijs Domini progressus fuerit, & orauerit, quos principes nō bonos expertus est, diuino beneficio bonos euasuros.*
        - *Omnem potestatem esse à Deo.*
        - *Parendum Pontifici max. Christi Vicario, & illis, quos constituit, episcopis, & parochis, veluti ministris Dei: ita etiam regibus, & illis, penes quos est rerum administratio.*
        - *Occulto, sed sapientissimo Dei iudicio, interdū fieri, vt qui minus digni sint, imperent, pareantq; illis sapientiores. in quo argumento non diu morabitur: proponet potius varias sollicitudines principum, et eorum, qui rempub. administrant, ad leuandum inuidiam eorum, qui priuatam vitam degunt. sed ob hanc causam in primis in hoc versabitur argumēto, vt excitet ad amādos principes, & ad orandum Deum, vt illis subministret spiritum consilij, vt veluti parentes, eorum salutem propositam habeant.*

Quoniam ad commouẽdos animos muliũ confert cognoscere varia auditorum genera, iccirco facilioris cognitionis causa auditorum genera quadrifariam potissimũ distingui possunt, aut

1 Natura, vt alij sint

Mares, qui mondi sunt,

Ne muliebris sexus imbecillitatẽ despiciant, sed potius ut sustẽtent, & tueantur.
Participes religionis, spei, fidei, charitatis, prudentię, iustitię, temperantiæ, fortitudinis, virginitatis, ac etiam martyrij factas fœminas.
Non minus gratum illum sexum præpotenti Deo, quam nostrum.
Pro eo sexu etiam sanguinem D. N. Iesum Christum fudisse.
B. Virginem, vt omnium virtutũ exemplar, vtriq; sexui propositã.

Fœminę, quæ excitãdę sunt vt

Affectiones moderentur suas.
Ne nimis velint, quod cupiunt.
Ad religionem, ad pietatis opera animum conuertant.
Imbecillitate naturæ excitentur ad deuotionem.
Mollitie cordis ad salutarem luctum incitentur.

2 Disciplina V.
3 Electione X.
4 Occulto Dei iudicio Y.

De quibus infra.

V Disciplina ita distinguũtur auditores, vt alij sint

- Magistri, et hi aut
  - Rerum diuinarum, vt sacerdotes, quibus ostẽdendum est in eis requiri
    - Sobrietatem.
    - Bonitatem.
    - Castitatem.
    - Bonos mores.
    - Scientiam.
    - Studium literarum.
  - Rerum humanarum, qui hortãdi sunt vt
    - Facilius, ac breuius, quàm fieri possit, quam artem profitentur, doceant.
    - Non doceãt libentius diuites, quàm pauperes.
    - Neminem excludant.
    - Rhetores, ne incautos adolescentes erudiant ad decipiẽdum, & ad excitandas seditiones.
    - Philosophi ne de mundi æternitate ex sentẽtia Auerois, de immortalitate animę nimium multa, & nimis subtiliter doceant.
    - Quod prohibuerunt sancta Cõcilia, nemo audeat ostentationis causa ad perniciẽ ingeniorum profiteri.
- Discipuli, ut sunt
  - Auditores concionatorũ, qui excitandi sunt, vt
    - Quæ audierũt, memoriæ mandent.
    - Audiant cum fructu.
    - Non numerentur inter illos, de quibus scriptum est: Semper discentes, nunquam ad scientiam veritatis peruenientes.
  - Viri religiosi, quos sanctissimi viri Augustinus, Hieronymus, Franciscus, Dominicus, & Benedictus instituerunt.
  - Moniales discipulæ sanctorum patrũ, quæ excitãdæ sunt
    - Ad metũ, nisi, quod vouerũt, præstiterint.
    - Ad gaudium commemoratione bonorum, quibus in monasteriis perfruũtur, & malorũ, quibus carent, & expectationis vitę æternæ.

X Electione distinguunt auditores, quia homines sibi eligunt

- Amicos, quorum multæ sunt societates, put spiritus sancti excitat alios ad
  - Erudiēdos pueros in doctrina Christiana
  - Vnanimiter orandum.
  - Frequentanda sacramenta.
  - Propria corpora castigāda.
  - Cōsolādos eos, de quib⁹ ultimū est sumendū supplicium.
  - Quæ societates excitande sunt ad
    - Perseverantiā.
      - Vt se invicem ferant.
    - Ad hanc legē sanciēdam, & obseruandam
      - Vt nihil dicat, nisi implorato spiritus sancti auxilio.
      - Vt si qua nasci tur controuersia, ad episcopū aut ad parochū deferatur.
- Disciplinam militarem. ad hos pertinet
  - Defendere religionē Christi.
  - Pugnare pro defensione sanctæ matris Ecclesiæ.
  - Pugnare pro honore Dei.
  - Pugnare pro omnibus Christi precioso sanguine redemptis.
  - His ostendendū est, ignominiosum in militia esse, nihil aliud habere propositum, quam
    - Ditari.
    - Intemperantia se ipsum fœdere.
    - Vbi quis victoriā reportauerit, à se ipso, hoc est à cupiditatib⁹ vinci.
- Aliquā artē, vt mercaturā, ex quorū animis amouenda sunt
  - Fraudes.
  - Mendacia.
  - Dissimulationes.

Y Distinguuntur etiam auditores occulto Dei iudicio, quo fit, vt alij sint

- 1 Principes, qui sunt aut
  - Reges, quibus proponantur regiæ virtutes vt
    - Religio.
    - Iustitia.
    - Clementia.
    - Fortitudo.
    - Tēperantia.
    - Liberalitas.
    - Comitatem.
    - Amandam virtutem.
    - Malitiosas quasdā ineptias fugiendas.
    - Anteponenda sui publica commoda.
  - Rerum pub. administratores, qui excitandi sunt ad
    - Vt uehemēs illud studium, quod adhibent ad parādas opes, adhibeant ad
      - Sanctā religionē tuēdā.
      - Sāciendas, & seruādas leges.
      - Iustitiā amādam.
      - Salutaria consilia proponenda.
- 2 Subditi qui debent
  - Amare regem, & principem suum.
  - Principum consilia in meliorem partem interpretari.
  - Legibus obtemperare.
  - Consilio, opibus, quando opus est, principes adiuuare.

3 Nobiles, qui, quando nobilitas eos plerunq; superbos efficiat, ad humilitatem sunt excitandi.

4 Ignobiles, qui ad veram nobilitatem, quæ in hoc est posita, vt Deo seruiatur, sunt accendendi.

5 Domini, siue patres familias qui excitādi sunt, vt
- Familiam suam informent, corripiant, & consolentur.
- Familiæ suæ se virtutum exemplar præbeant.
- Cum seruis suis benigne se gerant.
- Immoderatis laboribus seruos non aggrauent.
- Res necessarias ad victum, & vestitum seruis prouideant.
- Seruis suis mercedem soluant.
- Studeant, vt famuli meliores efficiantur.
- Indulgentia, nimia familiaritate, & communicatione secretorum seruos ad & licentiam non erudiant.
- Multitudine seruorum inutilium, qui familiam perturbent, non delectentur.

6 Famuli q admonendi sunt, vt
- Seruiant in Domino.
- Eatenus pareant Dominis suis, quatenus, quod iubent, cum lege Domini consentit, aut non aduersatur.
- Non adulentur.
- Sint fideles.
- Ne sint pestes familię

7 Ruri habitantes, qui admonendi sunt, vt
- Omnia, quæ illis eueniunt, frugum copiam, sterilitatem, siccitatem ad Dei prouidentiam referant, in vsq; diuinam bonitatem contemplentur.
- Ne furentur.
- Decimas non fraudent, quoniam id est corrumpere patrimonium suum.

Non nulli etiam (vtinam huius rei nullum esset exemplum) in Turcarum, vel hæreticorum potestatem rediguntur, de quibus mox infra Z.

Infideles, de quibus infra a, b.

- Qui à Turcis opprimuntur, aut ab hæreticis sunt, aut
  - Pastores animarum, qui in visceribus Domini nostri Iesu Christi sunt obsecrandi, vt
    - Creges non deserant suos.
    - Meminerint, Matatiam, succumbentibus, & cedentibus cæteris legẽ Dei vindicasse.
    - Heliam Iudæis deficientibus, & à religione diuina recedentibus stetisse, & certasse constanter.
    - Danielem nec solitudine, nec religionis alienæ infestatione fuisse deterritum.
    - Innumerabiles martyres pro Christiana religione alacriter oppetijsse mortem.
  - Subditi quibus pastor dicere debet
    - Nihil Christo præponendum esse.
    - Ereptos ipsos fuisse de laqueis sathanæ sanctissimo baptismatis sacramento.
    - Stultos, & miseros eos futuros, si amiserint, quod sunt consecuti, gratiam Dei, & perpetuæ beatitudinis consequendæ spem.
    - In illis calamitatibus probare Dominum fidẽ populorum.
    - Potentiorem esse Dominum ad protegendum, quàm sit communis humani generis hostis ad impugnandum.
    - Punctum temporis esse hanc vitam plenam ærumnis.
    - Mortem esse terminum, & fidelibus transitũ ad veram vitam.
    - Aciem Christi semper vincentis, semper regnantis, non deserendam.
    - Matris nostræ, quæ nos enutriuit, sanctæ ecclesiæ non obliuiscendum.

Si quando eueniret vt clerici, igne charitatis incensi in longinquas regiones proficiscerentur ad prædicandum euangeliũ infidelibus, eos hortarer, vt breuibus, & dilucidis sermonibus dicerent.

Christianam religionẽ esse perfectam sapientiam, matrem concordiæ, alumnam pacis, magistram charitatis, nutricem omnium virtutum, expultricem omnium vitiorum, in rebus aduersis consolatricem.

Huius sapientiæ largitorem esse cœli, & terræ effectorẽ Deum.

Christum Dei filium esse verum solem, à quo lumen accepit sol, quem videmus.

Christum esse Dominum, magistrum, legislatorem, medicum, medicinam, viam, veritatem, & vitam animarum nostrarũ.

Falsos deos gentium. Nimium amorem in parentes, in filios, adulationem etiam deorũ multitudinem peperisse.

A pluribus dijs non posse administrari mundum: In multorum dominatu seditiones exoriri.

In omni administratione ad vnũ referri omnia.

Verum Deum, quem nos colimus, diuinitatis suæ plurima signa semper dedisse, & miraculis confirmasse.

Quæ omnia paulatim in animis populorum imprimat, & leni perspicua, breuique oratione dicat

Articulos fidei.
Vim sanctissimorum Sacramentorũ præsertim Baptismi.
Decem præcepta Decalogi.
Orationem Dominicã.
Sępe e uarietate creaturarum inculcent prouidentiã Dei.
In recensendis initus, progressionibus religionis nostræ, in describenda æterna, & beata patria versentur.

Cum vero homines sint vel

Cælibes

Viri monendi sunt
- Vt iunctos matrimonio non contemnant.
- Suum periculum considerent.
- Otium, vnde voluptas, & malum omne exi-stit, fugiant.
- Orent sine intermissione.
- Piis operibus studeant.
- Episcopos, & parochos suos adiuuent.

Fœminæ, cohortandæ sunt
- Ad taciturnitatem, quia qui custodit os suũ, custodit ab angustiis animam suam.
- Ad humilitatem, quia Dominus respicit humilitatem ancillæ suæ.
- Ad castitatem animi & corporis, quia mulier innupta, & virgo cogitat, quæ Domini sunt, vt sit sancta corpore, & spiritu.
- Ad modestiam, ne in laqueos mali dæmonis incidant.

Matrimonio iuncti

Viri monendi sunt vt
- Ducant vxores cum timore Dei, spe & cogitatione prolis.
- Diligant vxores suas, vt Christus dilexit Ecclesiam.
- Instituant vxores suas.
- Si quid scire cupiunt vxores suæ, patiantur se interrogari.
- Increpent, quando opus est, modeste tamen, vxores suas.
- Habitent cum vxoribus suis.

Fœminæ
- Quibus ostendendum est, vxorem debere viro suo
  - Fidelitatem.
  - Amorem sanctum.
  - Castum timorem.
  - Obedientiam.
  - Reuerentiam.
- Quæ excitandæ sunt ad
  - Pudicitiam.
  - Sobrietatem.
  - Deuotionem.
  - Christianam liberalitatem.
  - Infirmorum curam.
  - Opera pietatis.
  - Fũdĩdas ad deũ pces

1 Parentes, qui monendi sunt, vt filios suos
- Tueantur, & nutriant.
- A peccatis, quantum in se est, reprimant.
- In bonis operibus instituant.
- Corripiant, quando opus est, & puniant.
- Erudiant in ijs, quæ ad religionem Christianã pertinẽt.

2 Filij, qui excitandi sunt, vt
- Præcipuo amore parentes suos diligant.
- Obediant in omnibus, quæ ad administrationem familiæ, reiq; familiaris pertinent.
- Hortationes, obiurgationes, castigationes etiam, vt salutaria medicamenta, & maxima indicia amoris, suscipiant.
- Parentes suos omnibus honoribus prosequantur.
- Succurrant parentibus suis.
- Parentum vitam sustentent.
- Tristitia non afficiant parentes suos.

Mares autẽ & fœminæ ita etiam distingui possunt, vt allij sint

3 Senes, qui monendi sunt, vt
- Caueant, ne se ipsi fallant.
- Caueant, ne temere iudicent.
- Huius sæculi opes suspectas habeant.
- Timiditatem, quæ, refrigescente calore, illis inest, conuertant ad humilitatem.
- Confidant in Domino.
- Prudentiam suam non tanti faciant.
- Sua conscientia freti, quid de se sentiant, aut loquãtur homines, non admodum curent.
- Vereantur Deum, cuius oculis patent omnia.
- Misericordiam opibus, si diuites sunt, consilio, auctoritate, doctrina exerceant.
- Vicinorũ filios suos putẽt, eis hortẽt, & reprehẽdãt.
- Vt honorum, & diuitiarum cupiditate se liberent.
- Detractores, & maledicos non ferant.

4 Iuuenes, qui admonẽdi sunt, vt
- Sibi longam vitam minimè polliceantur.
- Caueant, ne voluptatibus capiantur.
- Vereantur Deum, & viros bonos.
- Abstineant à carnalibus desiderijs.
- Ne facile credant.
- Ne iniuriam inferant.
- Modum adhibeant in omnibus.
- Adolescentiæ calorem, & impetum sanctis exercitationibus, & pijs operibus temperent.
- Alicui se disciplinæ tradant.
- Aliquem virum bonum, cuius exẽplo, & consilio prudentiores, & meliores quotidie efficiãtur, deligant.

5 Media ætate consistētes qui adhortādi sunt vt

- Quò magis in illis viget ingenium, iudicium, & memoria, eò magis diuinis muneribus ad aliorum vsum, & ad animarum salutem vtantur.
- In ea, ad quam nati sunt, & cui à primis annis se dediderūt, arte se exerceant sine fuco, & ostentatione.
- Senum consuetudine prudentiam augeant.
- Vitæ moderatione, & grauibus colloquijs iuniores erudiant.

Ad commouendū plurimum valent

- Exempla sanctorum, & sanctarum, vt si de contemnenda morte agatur, Martyrum exempla, Stephani, Laurentij, & aliorum in medium sunt afferenda.
- Sententia, quæ est oratio aliquid enuntians de re vniuersali, uel optanda, vel fugienda quæ est
  - Aut simplex, vt bona est religio Christiana, aut rationem habet ad iunctam, & hanc vel
    - Implicitam, & vocatur sententia enthymematica, vt Ne contendas cum viro locuplete, ne forte contra te instituat litem tibi.
    - Explicitam, & appellatur pars enthymematis, vt, Non est gaudendum ob mortem inimici, quia poterat conuerti ad Dominum.
- Entymemata, que conficiuntur ex indicijs non longè petitis, sed proximis, & apertis, & vbi catholicè viuitur, multò crebrius ad confirmandum, quàm ad refellendū adhibētur.

Quoniam callidissim⁹ sophista Sathanas sophismatum multa semina in auditorum animis semper iacit: Orator ea leni, & paterna oratione soluat. Horum autem præcipua sūt

1 Luxuriæ, superbiæ, aut auaritia, aut odij morbis me ipsum non libero, quia Deus ita vult.
2 Res prosperæ illi succedunt: Deus igitur illū diligit.
3 Res aduersæ illi eueniunt. ergo inimicus Deo.
4 Latro audiuit: Hodie mecum eris in paradiso. ergo differenda pœnitentia est.
5 Nō est frequentanda sanctissima Eucharistia quia peccatis sumus expositi.
6 Malum est mori. ergo valde amanda vita.
7 Miserum egere. ergo maximo studio quærendæ diuitiæ.
8 Abundare beatum. ergo pauperes miseri.
9 Astrologus q̄dam vera prædixit. ergo Astrologiæ credendum.

De quibus agēs orator ostendat, imperitū vulgus interdum

Ambigua non distinguere.
Rerum similitudines, & dissimilitudines non videre.
Veras rerum definitiones non percipere.
Temporum, locorum, personarum, rerum discrimen ignorare.
Vniuerse affirmare quod nō erat affirmandum.
Falsas causas pro veris habere.
Disiuncta coniungere, coniuncta separare.
Veris principijs non assentiri.
Falsa p veris, incerta pro certis pronuntiare.

Quomodo autem hæc sophismata solui possint, sequenti tabella ostēditur

1 Deum non esse causam malorum.
Radicem peccatorum in nobis esse.
Eum, qui auctorem peccatorum Deum dicit: negare, Deum esse, quia si non est bonus, non est Deus.
2 Et 3 Deum adimere quidem diuitias, sed male vtentibus.
Morbum inducere, quibus expedit membra habere debilitata.
Morte quam plurimos à peccatis, & ab infamia liberare.
Famem, siccitates, inundationes plagas esse, quibus peccata puniuntur, & medicinas salutares, quibus populorum morbi sanantur.
Exercere Dñm, quos magis diligit, vt reb⁹ humanis min⁹ affixi cœlestia (cogitent.
Bb. Abel iustum fratrem odio habuisse, & occidisse.
Ad sol- Iacob fugientem, infestum fratrem Esau secutum fuisse.
uenda Ioseph puerum à fratribus venditum.
mise- Sãctos Apostolos, & innumerabiles martyres rebus aduersis probatos.
randa Rerum humanarum prosperitatem interdum esse reprobationis indiciũ, & cuiusdam virtutis humanæ mercedulam.
illa Sa-
thanæ Quo difficilius est in prosperis, quàm in aduersis, moderationẽ retinere,
sophis- eò minus prosperitatem certum erga aliquẽ diuini amoris esse indiciũ.
mata Scelestissimum Turcarum tyrannum, quia, ita nostris exigentibus pec-
orator catis, ei omnia prospera eueniunt, non ideo Deo gratum existimandum.
dicere 4 Non esse differendam pœnitentiam, quia nescimus diem, neq; horam
pote- mortis nostræ: quia semper imminet; quia difficilius est ritè pœnitentiã
rit ad agere, quàm innocentiam seruare.
Sperare latronis veram pœnitentiam esse periculosissimum.
Sperare vltimo vitæ actu veniam, esse temerarium.
Quam benignitatem ostẽdit in latronem Dominus, vt eius exẽplo nullus vnquam peccator desperaret, non expedire, vt erga omnes ostendat.
5 Ineptam esse argumentationẽ de non frequentanda sanctissima Eucharistia, nec minus absurdum, quàm si quis diceret, non esse sumendam salutarem medicinam ægrotis.
6 Malum esse in peccatis mori, non mori in Domino.
Mortem esse migrationem ad æternam vitam, peccatorum multorũ terminum, & veluti portum periculosissimæ nauigationis.
Vitã, hoc est peregrinationẽ multis molestijs plenã nõ amãdã, sed tolerandã, vt Dei pcepta seruem⁹, vt peccata nr̃a lugeam⁹, vt aliorũ saluti cõsu(lamus.
7 Miserum non esse egere, cũ sit miserũ tantum peccare.
Christum Dominum in omni vita rebus omnibus externis egere voluisse, & tamen nullam in eum miseriam cadere potuisse.
8 Dandam omnibus operam, vt sint locupletes in Christo, vt abundent humilitate, patientia, charitate.
9 Temeraria esse astrologorũ iudicia, & vanissimas pstigiatorũ nugas.
Eas esse sathanæ artes, quib. miseras decipit animas, sana corrũpit cõsilia temeraria indicia parit, de maiestate, ac de pudẽtia Dei detrahit, inquietas animas reddere, & à Christo, cuius aduentu hæc Demonum ars extincta est, alienare conatur.

- **Elocutio** valet ad concilian dos animos, quæ in hoc cō sistit, vt Ecclesiasticus orator ad populum dicat.
  - Considerate
    - Ne in aliquã ineptiã incidat, qđ fiet, si in dicẽdo rationem non habebit
      - Loci, vt qui aliqua fabella auditorum animos oblectare student.
      - Temporis, vt qui longitudine sermonis, & longis digressionibus auditores tædio afficiunt.
      - Propriæ personæ. vt illi, qui obliti muneris sui, subtilibus disputationibus populum non docent, sed in sui admirationẽ conantur trahere.
      - Auditorum, vt illi, qui explosas iam diu philosophorum opiniones de fato, cōtra Dei prouidentiam, de sequẽdis voluptatibus in medium afferunt, eas, q̄ minimè necesse est, vt refellant.
    - Ne frigidam orationem efficiat, qđ fit.
      - Cũ audet
        - Nomina confingere.
        - Varietate linguarum, Grecæ, Latinæ, Hebraiceq; orationẽ cōfundere.
        - Superuacaneis verbis, & epithetis vti.
      - Cum dicentis actio, quæ est tanquam corporis sermo, rebus, de quibus agitur, nõ est accommodata.
      - De hac infra Cc.
  - Emendate vitans
    - Solœcismos.
    - Barbarismos
    - Quod facile consequetur, si in ea, in qua natus est, lingua se exercens, molestas quasdam voces mutauerit, aut potius correxerit.
  - Perspicue. Perspicuitas autem orationis cōsistit interdum
    - In proprietate
      - Nominum sunt tamen quædam corporis partes, quæ proprijs nominibus explicandæ nõ sunt, & insignia quædam peccata, sed adhibita circumlocutione.
      - Verborum. Propria verò verba dicũtur, quæ communi loquendi vsu recepta sunt, vt philosophus, theologus, docere, dicere.
    - In translationibus. Translata verba dicuntur, quæ à propria significatione ad aliam non propriam transferuntur, vt gratia dicitur fons vitæ. in quorũ vsu he cautiones sunt adhibendæ
      - Ne à remotis sumantur, vt si quis Christum serenissimũ diceret, quia Rex.
      - Ne ab vlla re turpi proficiscant, vt si quis Deũ patrẽ carnificẽ Christi nominaret, quia iussit, vt propter peccata hominum moreretur.
  - Apposite. Dd
  - Ordinate. Ee
  - Memoriter. Ff
  - de quibus infra.

Actio consistit

In voce, ne ab oratione discordet: nam

Aliud vocis genus, nempe acutum, & concitatum requiritur ad exprimendum zelum Dei.

Aliud, humile scilicet, & demissum adhibetur ad recreandum timore, & conscientia peccatorum praeteritorum perterritum animum.

Sancto gaudio perfusus leni quadam voce, & remissa utitur.

Dolore commotus vehementi quodam, & graui sono proprium exprimit dolorem.

In gestu

Oculi dicuntur principes in pronunciatione, quorum intentione, remissione, coniectu, hilaritate affectiones exprimuntur.

Cauendū, ne oris species mutetur, quia id risum mouet.

Brachium proiectum est telum orationis, quo interdum animae feriuntur.

Supplosio pedis aliquando habet magnam vim, cum de rebus maximis agitur.

Ab initio id de quo sibi dicendum est, proponat.
Quod propositũ fuerit, explanet.
Vtatur definitione, diuisione, rerum distinctione.

Quomodo autẽ proponere debeat orator, qualis debeat esse propositio, item de diuisione, & distinctione paulo post dicemus.

Breuem nonnunquam rationem subijciat, hoc modo: Cupitis scire, quamobrem in varias calamitates incidatis? melioris spei filij decedant? varijs morbis affligamini? caritate annonæ, & alijs incommodis exerceat vos, aut puniat potius Deus? quia eius mandata non custoditis, quia iniusti estis in vos, & in alios.

Cum in tenui, ac subtili genere orationis uersatur

Dd. apposite dicet orator si formas, ac figuras tũ verborũ tum sententiarũ rebus, de quib. agit accommodauerit, ita vt

Ad ea, quæ proposita erunt, reuertatur hac ratione. Ita dictante Spiritu Sancto huc digressus sum. vtinam cum aliquo vestro fructu. Nunc redeamus, vnde deflexit oratio.

Concludet interdum in hunc modum: Vellem, fratres charissimi, vt tandem aliquando tot sermonum, tot concionum, tot hortationum mearum conclusio existeret, essetis vos populus Dei, hereditas Christi, gaudium meũ, & corona mea, humana contemneretis, huius exilij obliti ad cœlestem patriam aspiraretis.

Ex conclusione transibit aliò, vt agens de curiositate, quã otij filiam nominamus, vbi ostenderit, curiosos non solũ tempus conterere, sed etiam discordias serere, subiunget sibi etiam odium comparare solitos: & cum maximè soleant esse delatores, in varias plerunque calamitates incidere.

Adhibebit vocabula propria, quæ rem planè significent Hh.

Cum in temperato dicẽdi genere.
Cum in grandi, ac sublimi orationis genere. Ii.

Versatur, utatur ijs dicẽdi formis, de quibus mox infra.

In tota oratione decorum seruet, de quo infra. Kk.

I Illustri

1 *Illustri explanatione, & sub aspectum subiectione hunc in modum. Considerate fratres, intuemini imaginem orbis terræ. maior pars impia Mahumeti tyrannide oppressa est. in iis, qui Christum agnoscunt Deum, quot monstra opinionū, quot portenta hæresum, quàm varij, & pestiferi errores multorum mentes infecerunt. Nos, qui sanctā matrem Eccles. sequimur, & in fide non erramus, nostrā fidē operibus nō cōfirmamus, nec fides, nec sinceritas apud nos reperit.*

2 *Tragica rerum expositione, vt de amißa insula Cypro ita exponet: Assur immanissimus Turcarum tyrannus, virga furoris, & baculus iræ Domini, ita eo permittente, percussit nos, regnat, & in dies crescit impietas, triumphat dira crudelitas, regnum nobilissimum in tyranni potestatem redactum est, sanctissima templa vastata, qui reipub. Venetæ nomige regebant, primarij etiam regni ipsius viri, miserabiliter obtruncati, violatæ virgines, igne & flamma illius regni decor extinctus, cęsi innumerabiles, multi ēt captiui, vt haberēt, vnde Christiani nominis hostes insultarēt, Byzātiū sunt pducti.*

3 *Morum, & vitæ imitatione, vt, Vlciscere illatas iniurias, occide inimicum tuū, filios tuos hæredes huius intestini odij relinque, imminue patrimonium tuum, dita prætorios ministros, & vltorem omnium iniuriarum acerrimum te omnes prædicent: considerabis deinde in inferno, num recte feceris.*

4 *Allegoria, admodum tamen raro ea vtatur, ne obscura reddatur oratio. Quomodo autem sint explicandæ, & adhibendæ allegoriæ, paulo post explicabitur.*

5 *Imagine, vt ruri inquietos rusticos appellabit crabrones, vsurarios sanguisugas.*

6 *Exemplis, & similitudinibus, in quibus tamen delectus habendus est, ne alicuius rei turpis exemplum, aut similitudo adducatur, & ne eorum copia poeticum quid Ecclesiasticus orator redoleat.*

7 *Hyperbole, quæ ad commouendum, & detestandum solet adhiberi sed rarò adhibeatur, ne ineptus iudicetur orator.*

8 *Rebus, quæ sensu, & vita carent, sensum, & motum adiungat, vt, Superuacaneæ vestes, sumptuosa conuiuia, testantur, vos non egere, vos non diligere pauperes, quippe qui eis sua subtrahitis, vt crapulemini.*

9 *Coacernatione vtatur. ita autem coaceruabit. Miserum iusto Dei iudicio concitatum est in repub. Christiana bellum: vexant acrius, quàm vnquā antea, domestici, & acerrimi inimici, sathanas, mundus, & origo omnium miseriarum caro: affligit immanissimus Turca, eius tyrannidi quotidie regna subijciuntur. discordia vtinam nostra, & peccata iram Dei in nos magis non prouocent. Quid igitur faciemus? lugeamus, doleamus, peccata nostra confiteamur, ad misericordiam Dei confugiamus.*

10 *Quę rem attingunt, cum ipsa re coniungat, vt, Quid agunt quidam*

Hh. Cum in temperato genere orationis versatur Ecclesiasticus orator, vtatur

ex vobis? ingurgitant, non concoquunt, eis pituita molesta est, oriuntur febres, immaturo tempore senescunt, deficit memoria, libidine cruciantur, minuunt patrimonium, miseri in hac vita ad mortem perpetuam festinant.

11 *Vtatur antithesi, ut doceс spiritualis uitę cōmoda, et sanctas oblectationes, dicat voluptas corporis debilitāt corpus: gaudia spiritus vim animi augēt. illę pœnitentiā, hæ lætitiā, illæ infamiā, hę laudē corā Deo, & hominib. pariūt.*

12 *Periphrasi hoc modo: Ille, qui eos, quos solet euehere, maxime decipit, qui vitia virtutis specie plerunq; extollit, qui eos, à quibus magis diligitur, sępius fallit, probitatis, & innocentiæ irrisor, à quo nemo tandem interdum non est deceptus, dissimulationis, adulationis magister, honorum, & diuitiarum admirator, impurarum voluptatum minister, & callidus sophista, & bonorum etiam ingeniorum corruptor, ille est, quem amatis. quem creditis esse mundum? mundus est is, quem vobis descripsi.*

13 *Paronomasia, vt ad consolandos pauperes sic hac figura commodissimè vti poterit: Quid creditis? multi pauperes sunt diuites, diuites, inquam, gratia Dei, diuites humilitate, diuites patientia. multi autem diuites sunt pauperes, pauperes, inquam, humilitate, misericordia, Christianis virtutibus.*

14 *Interrogatione, vt cogitatis interdum, fratres, vos esse homines ad imaginem Dei factos? cogitatis sanguine D. N. Iesu Christi vos esse redēptos? cogitatis, quid pro vobis in sanctissimo Baptismatis sacramento sponsores vestri polliciti sint? certè rerum omnium, quas commemoraui, vos oblitos esse, quispiam posset iudicare, cum sic viuatis, vt nec dignitatem hominis, nec beneficia, quæ à Deo accepistis, recordari videamini.*

15 *Percunctatione, vt: Num putatis aliquem esse, qui crucem suam non ferat? mihi credite, & reges, & principes, & omnium generum homines ferunt crucem suam, maiorem illi, quos fæliciores putatis.*

16 *Auersione, qualis est illa Gregorij Nazianzeni in funere Cæsarij fratris, cum ad eum ita orationē conuertit: Habes à me, Cæsari, funebre munus: habes orationū mearū primitias: habes à me ornamentū omniū ornamentorū.*

17 *Dubitatione, vt: surdis canam fabulam, nec ne, vehementer dubito: quod quidem mihi molestum esset.*

18 *Correctione, vt: Multi ita se diligunt, aut potius se non diligunt, vt adulationibus delectentur, & monitores odio habeant.*

19 *Paulum immutato uerbo: ut Veronæ non incōmode dicere poterit, Veronā dictā esse, vt esset verè vna in Christo, & oēs amore inter se essēt coniuncti.*

20 *Repetitione, vt: Christiani, mēbra Christi auersamur, et fugim⁹: Christiani, aciem Christi deserimus: Christiani, iterum, quantum in nobis est, Christum peccatis nostris crucifigimus. Eiusdē figurę hoc etiā est exemplū: Qua ratione redimi possūt peccata? eleemosyna. qua ratione fęneramur Deo? eleemosyna. quid est aurū ignitū, quo locupletes fieri possum⁹? eleemosyna. quare eleemosynis proprię saluti consulamus, & Dominum inuitemus, vt misereat nostri.*

21 *Descriptione. Describere autem poterit, quando opus erit, pestem ad commouendos diuites ad subueniendum pauperibus. ita etiam famem, excitans ad eleemosynam, & ad pœnitentiam.*

Moneat. Verbi causa, vbi euangelij, aut epistolæ partem explicauerit, tanquam potestatem habens, monebit auditores, se eorum peccata commemorasse, vt cum illis communem calamitatem lugeret, vt illa commemoratio pœnitentiam salutarem pareret. & dicat: Non, vt confundam vos, hæc dico, sed vt filios charissimos moneo.

Obsecret, vt, obsecro vos, charissimi filij, quos Dominus noster Iesus Christus meæ fidei tradidit, quos vita chariores habeo, quibus iter veræ beatitudinis ostendere in primis studeo: obsecro, inquam, vos, ut vobis ipsi attendatis, cogitetis, qui sitis, sub cuius vexillo militetis.

Execretur, vt: Eijciantur, qui vsuris occidunt homines, qui contaminant Sanctum matrimonium, qui opprimunt pupillum. & viduam.

Contemnat, vt vbi vitia acriter reprehenderit, dicat interdum, se omnia contemnere, vt animas lucretur Christo, his verbis: Me miserum, si vos omnes me laudaueritis, si peccata vestra dissimulauero, si mea indulgentia deteriores euaseritis. Laudationes vestras, omnia commoda, omnes honores nihili facio, vt vos Christo lucrifaciam.

Detestetur peruersos Christianæ reipub. mores, & illa præsertim vitia, quibus populus, cui præest, est deditus.

Exprobret hunc in modum per increpationem: Hæccine, popule stulte, hæccine reddis Domino, qui te tot, & tantis affecit beneficijs?

Horrorem incutiat, & nominare poterit nomen oppidi, & ciuitatis, in qua sermones habebit, & horrorem incutere, dicens: Eversurum eos Dominum, nisi resipiscant.

Increpet hac ratione: Quid, miseri, de patria exules nunquam cogitatis? sic viuitis, tanquam nunquam ad aliam vitam migraturi? Dei filij adoptiui, fratres Christi, participes æternæ beatitudinis vos ipsos non agnoscitis? cogitationes, & curas vestras omnes ponitis in rebus abiectis, atque terrenis.

Insultet impijs hoc modo: Vbi sunt, qui corrumpunt hoc oppidum? vbi reperiuntur inimicitiarum, & calamitatum huius ciuitatis ministri? iam mortui sunt, aut miserrimè viuunt. nolite peruersos illorum mores imitari, ne eiusdem calamitatis, & miseriæ participes efficiamini.

Glorietur, vt eo die, quo auditores sanctissimum eucharistiæ sacramentū sumpserunt, dicere poterit: Exeat nunc perennis animarum nostrarū hostis, exeat auidißimus perditionis nostræ Sathanas, & cum Christo cuius sanctissimum corpus sumpsimus, cui per fidem maxime iuncti sumus, congrediatur. Vincemus, charissimi filij, quia imperator noster Christus semper regnat, semper vincit.

Lamentetur hoc modo: Me miserum, quid laboribus, vigilijs, prædicationibus, quid meis precibus ad Deum, quid mea erga vos charitate sum consecutus, cum me hortante, me rogante, me obsecrante, peruersa hæc saltandi consuetudo, hæc perniciosa Dæmonum ars, qua animæ irretiuntur, non tollitur?

In grādi, ac sublimi genere orationis vtatur his figuris, ita vt

Minetur res, quæ imminent, quarum memoria molestissima est, vt: Nisi resipiscamus, nisi ad pœnitentiam conuertamur, sumpturus est pœnas Dominus de peccatis nostris, ita eius exigente iustitia, & terræ motu, fluuiorum inundatione, bello, fame, peste, puniturus populum.

Terreat, incommoda belli, penuriæ, pestis, & maximè diuinæ indignationis effectus ante oculos ponens: vt, Non colligetis messes, fratres, filij vestri vobis immatura morte præripientur, varijs calamitatibus opprimemini, quia Deū non agnoscitis, quia cum blasphematis, quia decimas fraudatis.

Miretur: verbi causa cum ecclesiam alicuius oppidi admodum nobilem, & magnifice constructam intuetur, cum aliquod præclarum, & nobile institutum imitatione dignum in oppidis reperit, cum dextera excelsi mutationem factam animaduertit: quæ figura rarò adhibeatur, & magna cum cautione, ne, dum miratur, tacitè laudare, aut adulari videatur.

Exclamet interdum: ò tempora, ò mores, ò prauas consuetudines, ò peruersa hominum ingenia, ò miserum seculum, ò calamitosam rempub. Christianam. Adhibebit tamen modum in exclamationibus, illasq; post reprehensionem vitiorum publicorum collocabit.

Optet interdum sic: Vtinam saperes, vtinam intelligeres, vtinam nouissima præuideres, vtinam tibi attenderes, vtinam Dei voces audires.

Personam inducat, quemadmodum fecit S. Ephræm, vbi animi sui timorem explicat: Oculos in cœlum sustuli, & stupore quodam affectus, tanquam extra me attonitus hæsi, magnaq; formidine totus horrescens, cordis oculis Dominum summa in gloria sedentem vidi, & animam meam sic alloquentem: Cur ò anima, cœlestē thalamū tuū, immensa lucis, & gloriæ pulchritudine illustrē contemnis? cur, sponsa mea, odio prosequeris me purissimum sponsum tuum, atq; immortalē? cur ea despicis bona, quæ ego tibi in lumine vitæ præparaui?

Vtatur interrogatione, quæ premat, & vrgeat, vt: Num Christiani dicuntur, qui iniurias remittere, indignum putant? num qui viuunt, sunt primitiuæ ecclesiæ Christianis similes? num imitamini vos atauorum, & auorum vestrorum religionem, frugalitatem, & modestiam? si nobilitatis, si bonorum externorum hæredes fuistis, estote etiā religionis, & liberalitatis Christianæ.

Communicet cum auditore sententiam suam hoc modo: laudādi sunt filij, qui parentes deserunt; laudandi patres, qui prouocant filios suos ad iracundiam, laudandæ vxores superbæ, quæ tyrannidem exercent in viros; laudandi viri, qui fugiunt vxores suas, & fastidiunt: vos ipsi iudicate. hæc flens dico, hac dicendi moderatione vtor, ne vos confundam.

Ironicè loquatur (rarò tñ: nam ab omni fuci suspicione abesse debet) hoc modo: Hi sunt fideles Christi, hic populus Dei, hi auditores optimorū cōcionatorum.

Liberam vocem proferat, raro tamen, verbi causa: Quid potui facere, fratres, & non feci? nunquam diu à vobis abfui, quantum potui, opem tuli, paterno vos amore dilexi. pro quibus rebus, quas gratias mihi habetis, fratres? nihil profuit mea diligentia, obfuit potius quibusdam, qui me monitorem ferre nō possunt, & veluti phrenetici animarum suarum medicum auersantur.

Kk. Decorũ Ecclesiasticus orator seruabit, si ei° oratio erit

- *1 Affecta. Erit autem affecta si eos motus, & sensus, ad quos orator auditores adducere studet, animo, & mẽte concipiat ipse, vt*
  - *Si in scelera hominum, & flagitia inuehendum est, acriter, concitate, vehementer dicat.*
  - *Si misericordia populi commouenda, si pauperũ incommoda & miseriæ explicandæ, si Christi passiones oratione exprimendæ, si beatissimæ Virginis dolorum, & acerbitatum vulnera commemoranda, verbis sentẽtijs, voce, vultu; collachrymando deniq; sese ad ea, quæ dicat, accomodet.*
  - *Si martyrum victorias, triumphos, coronas, prę mia cœlestia oratione exaggerãda susceperit, hilari admodum vultu, & exultanter dicat.*
  - *Si zelo Dei commotus est, instantibus verbis vtatur, & vocibus.*
  - *Suis deniq; coloribus rem pingat, atq; ita in omnibus sese conformet ad eorum, quæ proposita sunt, rationem.*
  - *Affectæ orationi conueniunt crebra, & illustria epitheta, eaq́, frequentia, & inusitata nonnunquam, & peregrina, atq; adeo ficta, & inuersa vocabula: vt Vigilantium appellat B. Hieronymus hæreticum Dormitantium.*
- *2 Morata.*
- *3 Rebus, de quibus agitur, conueniens.*
  - *Quod præstatur*
    - *Cũ dicuntur*
      - *Tenuia subtiliter, & presse.*
      - *Mediocria temperatè.*
      - *Grandia sublimiter, & magnificè.*
    - *Cum ratio habetur*
      - *Rerum.*
      - *Personarum.*
      - *Temporis.*
      - *Loci.*
      - *Eius, qui dicit, quæ sit*
        - *Ætate.*
        - *Existimatione.*
        - *Honore.*
        - *Dignitate*
        - *Vitæ genere.*
        - *Et ad hęc oratio accõmodatur.*

Legendæ sunt beati Pauli epistolæ, qui cœlestem loquendi formam in eis expressit.

Decorũ cõparãt sanctorũ patrum Obseruatione. Imitatione. Ideo clericis in primis.

Orator decorum seruet has leges sibi prescribere debet

Vt nunquã falsum dicat, etiã si speret inde auditores ad pœnitentiam posse cõuerti.

Ne aduletur auditoribus.

Vt si interdum laudat, laudet vt vituperet.

Vt nunquam de predestinatione loquatur, quin subdat, liberum esse hominis arbitrium.

Nunquã de peruersis quorundam sacerdotũ moribus, quin de sacerdotij auctoritate multa dicat.

Nunquam matrimonium ita laudet, vt virginitatem ei nõ præferat.

Ne se ipse iactet, aut sua.

Ne in sacerdotes, in ordinẽ episcoporum, in principes, multo minus in Põtificem maximum dicere audeat.

Legenda scripta sanctorũ patrũ

Græcorũ

Naziãzeni in cuius orationibus magna vis inest.

Basilij, cuius scripta magnã præseferunt grauitatem.

Chrysostomi, qui aureũ eloquentiæ flumen non immerito potest appellari.

Nysseni, in quo præter eximiam doctrinam, magnã etiam subtilitatem licet animaduertere.

Latinorũ

Augustini, cui9 scripta caute admodum legenda sunt. ita enim vir ille sanctissimus acumine ingenij præstitit, & de rebus difficillimis tam subtiliter disputauit, vt non mediocri ingenio prediti uiri eius libros legẽtes in errores aliquando lapsi sint.

Ambrosij, quem S. Basilius sapientia sublimem, orandi facultate illustrẽ dixit: Cassiodorus lactei sermonis emanatorem, cũ grauitate acutum, violenta persuasione dulcissimum.

Hieronymi, cuius oratio copia sentẽtiarũ, et verborũ splendore est illustrata.

Gregorij Pont. cuius libri sentẽtijs abundãt, & sunt morata oratione cõscripti.

Leonis, in quo magna inest grauitas, & dicendi maiestas.

Bernardi, in cuius libris inest admirabilis quædã suauitas, ita vt cũ sancta animi voluptate sẽper legãt

Sed & hi & alij sãctorũ patrũ libri hac cautione legẽdi sunt, ut quę ex illi, ad dogmata pertinentia collecta fuerint, non proferantur, nisi quæstionib9 aliquorum qui in doctrina scolastica sunt versati, ex quib9 Sanctum Thomam Aquinatem deligendũ putauerim, examinata fuerint

Hæc autem omnia, quæ de varijs dicẽdi formis, deq; decoro dicta sunt, consequetur orator

- *Si iudicium, quod condimentum orationis, & actionum omnium humanarum est, in dicendo adhibuerit. Quare iudicij regulas, quas tradit S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, diligenter obseruet.*
- *Si ea verba, quæ S. Hieronymus de concionatore dixit ad se pertinere maxime existimauerit: Nec ad instar, inquit, imperiti medici vno collyrio omnes vult curare, sed per singulas ecclesias vulneribus medetur illatis. Itaq; orator Ecclesiasticus debet diligenter inquirere mores, & præcipua vitia illius ciuitatis, vbi sermones habiturus est, & ad eas sermones suos accommodare.*

Ex Totius orationis ordo quatuor ad summũ partibus, exordio, propositione, probatione, & epilogo, duab⁹ ad minimũ, propositione, & probatione, continetur. Cum vero opus erit vti his quatuor orationis partibus, vt ordinate dicatur collocabitur.

- *1 Exordiũ, quod debet esse*
  - *Verecũdũ.*
  - *Graue.*
  - *Breue.*
  - *Est autẽ institutũ exordiũ, ut auditores efficiãtur*
    - *Dociles, quod cõsequetur orator, si ordine se dictururũ, & argutas quæstiones omissurum policebitur.*
    - *Attenti, quod efficiet, si dixerit, se de salute animarum sermonem habiturum, & quod ipse Deus, aut Dei serui diuino Spiritu afflati literis consignauerunt, in medium allaturum.*
    - *Beneuoli, quod præstabit, si neque inanis gloriæ cupiditate, neq; auaritia, sed zelo Dei, et studio salutis animarum munus dicendi se suscepisse a*[illegible] *ma ierit.*
  - *Orator vero ecclesiasticus ab his potissimũ locis exordiri poterit, aut*
    - *Nude.*
    - *Ab auditoribus.*
    - *A loco.*
    - *A tẽpore.*
    - *A persona eius, qui dicit.*
    - *A similitudine.*
    - *Ab exemplo.*
    - *A sententia sacræ scripturæ.*
    - *Quod Sanctos patres fecisse, licet animaduertere.*

2 Propositio. Hæc autē debet esse

1 Vna, hoc est, ad vnam propositionem redacta, vt explicaturus orator euangelium in solemnitate omnium sanctorum, proponat sibi dicere de beatitudine, & primum dicat quid non sit beatitudo: deinde quæ sit huius nostræ peregrinationis beatitudo: tum singulas quas ibi Dominus noster enumerat, poterit explicare.

2 Catholica, quæ est sanctæ matris Ecclesiæ enuntiatio, eaq; vetustate, & consensu patrū dignoscitur.

3 Popularis hoc est, ad populorum captum accommodata.

Quomodo explicanda sit propositio, ars, siue ratio explicandi sacras literas, docet, vt infra L l.

3 Probatio, hoc est, argumentum, siue comprobatio; quæ ad persuadendum plurimum valet.

4 Epilogus, quia vtile est, sæpè cum aliqua animi commotione concludere. Hos autem locos sibi concludendorum sermonum præscribere poterit, orator, vt ipse aut

Ab illecebris Diaboli, à mundi amore, à domestica voluptatum tyrannide auditorum animos ad desiderium gloriæ regni cœlestis adducat.

Pro auditoribus iam pœnitentibus loquatur.

Interdum auditores orantes, & deprecantes faciat.

Deploret, deprecetur etiam cum lachrymis, non tamen longa oratione, cum nihil citius arescat lachryma.

II. Ars, siue ratio explicandi sacras literas cõtinetur sensuum, qui in eis latent

1 Distinctione. sensus autem sunt quatuor

1 *Literalis, qui & historicus dicitur, est rei gestæ narratio, ac verborum series communi, & vsitata voce, siue propria, siue metaphorica rem ipsam representãs, propria voce explicantur animalia, leo, homo: metaphorica, agni, & leonis nomine Christus significatur. Hunc sensum adhibuit Christus Saluator noster, cum dixit: Moyses propter duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras, à principio autẽ non fuit sic.*

2 *Moralis, qui ad vitæ emendationem mysticos sensus accommodat: in quo sensu dicta sunt illa verba à Saluatore: Niniuitæ surgẽt in iudicio cum generatione hac, & condemnabunt eam, quia in prædicatione Ionæ egerunt pœnitentiam. & ecce plusquam Ionas hic. &c.*

3 *Allegoricus, qui rerum gestarum narrationem vmbrã futurarum prætulisse demonstrat. Hoc sensu vsus est idem Dominus noster, cum dixit de Ioanne Baptista: Helias quidem venturus est, & restituet omnia. dico autem vobis, quia Helias iam venit. Vnde autem orta sit allegoria, paulo infra explicabitur M m.*

4 *Anagoricus, quo ad res cœlestes animus euehitur: quo vsus est Apostolus ad Hæbreos scribens, cum terram illam Palestinorum patribus repromißam ad promissionem diuinæ gloriæ accommodat.*

2 *Inuentione, quæ*
- *Historicam intelligentiam docet.*
- *Ad inuestigandos reconditos penitusq́, abstrusos diuinarum literarum mysticos sensus viam demonstrat.*

3 *Dispositione, vt*
- *Primum iaciatur doctrinæ fundamentum, quid sibi velint verba sacræ scripturæ explicetur.*
- *Deinde ad mores animi auditorum excitentur, quod sanctos patres fecisse, licet obseruare.*

Sunt tria alia parum vsitata expositionum genera, nempe
- *Elementarium.*
- *Phisicum.*
- *Propheticum, à quo debet orator Ecclesiasticus abstinere.*

Contra peruersos mores spectaculorum.
Contra choros sathanæ, libidinum magistros, horum temporum insulsas comœdias.
Belli tempore dicat de iustissima Dei ira, de falsæ pacis incommodis.
In caritate annonæ propter peccata, dicat, res aduersas euenire.
De peccatis linguæ digrediatur sæpè, linguam esse, ostendat, inquietum malum, & venenum mortiferum, esse veluti ignem, qui inter omnia elementa maximè destruit, linguā destructas esse domos, & ciuitates.
Blasphemos dicat esse monstra hominum, portenta ciuitatum, ciues inferni, canibus, Iudæis, hæreticis peiores.
Periuros esse perturbatores humanæ societatis, iustitiæ corruptores, iurgiorum, & inimicitiarum ministros.
Detractores reprehendet, serpentinam linguam detractioni assuetam meritò appellabit.
Detractoribus minimè credendum esse, & verbis S. Hieronymi vtens dicat, nihil tam inquietare animam, & mentem leuem, & mobilem facere, quàm facile detractoribus credere.
Dicat adulatores esse falsos amicos, pestem humanæ societatis, venenum dulce incautis hominibus propinare consueuisse: lac esse, cibum puerorum: puerile esse, cantilena suarum laudum, et adulationibus decipi.
Dicat mēdaces esse filios diaboli, desertores milites Chri, sfames homines.
Reprehendat seminatores discordiarum, & dicat, Dominum detestatum esse huiusmodi homines, vt Salamon scribit.

Digressiones sepe debet orator & hi præcipui digressiuū loci esse potuerunt

Addat, litigatores esse imitatores Dæmonum, & odiosos hominibus.
Iactantes sua esse galliñæ similes, quę vbi ouum emisit, clamat, donec significet esse factum, quod ei statim adimitur: ita subripere sathanam solitum bona, quæ fecerimus.
Vitā Christianorū nō initio, sed fine iudicari, exēplo Iudæ, et S. Pauli apostoli.
Perfectam sapientiam esse fugere vel minima peccata.
Hanc vitam esse exilium.
Magnam apud Deum libertatem esse non seruire peccatis.
Summam nobilitatem clarum esse virtutibus.
De cœlesti patria cogitandum.
Eleemosynas præmittendas multorum generum.
Remittendas iniurias.
Docendos, & consolandos, qui doctrina, & consolatione egent.

Ff. Memoria ecclesiastici oratoris
- Conseruatur, & augetur exercitatione.
- Incredibiliter ordine crescit.
- Stylo adiuuatur.

Gg. Dignitas vero Ecclesiastici oratoris consistit in moderatione
- Vultus.
- Vocis.
- Habitus.

Mm. Allegoriam perit — *Necessitas quę oritur, cū verba videntur*:

- *Falsitatem præseferre, vt illud: Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draco em, quod cum à Christo minime sit factum, per allegoriam referendum est ad victoriam, quam ipse retulit de mundo, diabolo, peccato, morte.*
- *In sensu grammatico sumpta absurditatem parere, vt cum Deo pœnitentia, ignorantia, furor tribuitur.*
- *Pugnare cum sana doctrina, vel bonis moribus, vt cum oculum eyciendum præcipit Dominus, fugiendos propinquos, & huiusmodi.*

Vtilitas, cum verba per se sumpta nullam vtilitatem videntur afferre, vt historia Iacob, qui deceptus à socero Laban Liam in matrimonium accepit, existimans se potitum Rachele, pro qua longo tempore seruierat. Licebit igitur Liam interpretari philosophiam de moribus, Rachelem philosophiam contemplantem, hoc est, theologiá, quam nemo recte percipit, nisi qui bonis moribus sit præditus.

Allegoriæ valde similis est typus, siue figura veteris testamēti, ita vt alter ab altera vix separari poßit. Est tamen aliqua differentia. Nam

- *Typus siue figura est, cum aliquid ex veteri testamento assumitur, qd significauerit, aut adumbrauerit aliquid gestum, aut gerendum in Ecclesia, & fere omnes typi adumbrant, aut*
  - *Christum venturum, eiusq́; passionem, resurrectionem, & reliqua mysteria.*
  - *Ecclesiam, variosq́; eius status, & mutationes.*
  - *Euangelii, eius progreßiones, & incrementa.*
- *Allegoria diuersum quidam est à typo. siue enim ex veteri, siue ex nouo testamento sumatur, exprimit aliud diuersum ab eo, quod vocibus significatur, quod ad institutionem maxime pertinet.*

Animaduertendum est eodem loco diuersa ratione poße sumi typum, & allegoriam. verbi causa pugna illa Dauidis cū Golia est typus victorię Christi, quam retulit de sathana sin autem referatur ad nos, dici poteſt allegoria, vt, quemadmodum Dauid pugnauit cum gigante: ita pugnemus nos cum inimicis domesticis, sathana, mundo, carne, à quibus acriter appugnamur.

FINIS.

PRAELECTIONES TRES

AB AVGVSTINO VALERIO EPISCOPO VERONAE AD CLERICOS SVOS HABITÆ:

Quibus totius artis Rhetoricæ Ecclesiasticæ prolegomena, breuiter, & dilucidè, vno anno antequam opus ederetur, sunt explicata.



LVCVBRATIONES ADMODVM vtiles ijs, qui librum hunc audituri, & interpretaturi sunt.

PRAELECTIO PRIMA.



Nde magna oritur perturbatio, & confusio (charissimi filij) quod non intelligant homines, ad quid potissimùm sint nati, & quò eorum studia sint referenda: inde etiam fit, vt eam sacerdotum copiã non habeamus, quam optaremus, & qua maximè hæc Ecclesia indigeret; idcirco non desino pro mea paterna erga vos charitate, ac pro meo officio, vos sæpe hortari, vt vos ipsi cognoscatis finem vestrorum studiorum, & vestrarum actionum; cogitetis sæpe, vos Ecclesiæ sumptibus ali, vt ad nobilissimum sacerdotij gradum ascendatis, vt ministri Dei, mediatores inter populum, & Deum sitis, atque etiam (quod vehementer opto) coadiutores mei in animarum, quas Dominus noster Iesus Christus fidei meæ tradidit, cura; quod vt cõsequi possitis, in ijs studijs vobis assuescendum est, ista ætate, quæ maximè sacerdotes decent, nimirum, vt oretis, sanctis orationibus delectemini, quando celebrare per ætatem vobis non liceat, sanctissimo sacrificio Missæ singulis diebus maxi-

ma deuotione, & attentione interfitis, & cùm nondum ad il-
lam ætatem perueneritis, neque illum gradum in Ecclesia
teneatis, vt sitis idonei ad docendum, adolescentiam vestram
cognitione literarum, doctrina in primis Ecclesiastica orne-
tis: & quoniam (charissimi filij) quamuis doctrinarum, &
omnium bonorum magister sit Spiritus sanctus, ad excitan-
dam tamen humilitatem nostram, requirit sæpe Dominus
non solum preces, quæ quidem multum conferunt, & vitæ
innocentiam, sed etiam studium, & diligentiam, quibus di-
sciplinæ comparantur, hac in re nolite vobis deesse; ergo cer
te quantum in me fuit, nunquam defui, non desunt etiam fra
tres mei Canonici qui adsunt, qui cohortationibus multis,
vos ad studia, & ad omnes virtutes solent impellere, cùm au-
tem vsu veniat, vt Sacerdos quod ipse didicerit, ad gloriam
Dei communicet cum cæteris, eos hortando, aut docẽdo, aut
consolando; idcirco in ea parte Theologiæ, quam eius succũ
possumus dicere, quæ summis quibusdam cõtinetur, vos ver-
sari oportere intelligo; in qua vt facilius, & maiore cum fru-
ctu possitis proficere, & scholasticam doctrinam, quam ex-
pultricem errorum, & catholicæ veritatis fidelissimam mini-
stram nominamus (quantum ad vestrum officium pertine-
bit) teneatis: Iussimus etiam, vt in logicis versaremini; ve-
rùm cùm non Sacerdotes modò, sed etiam parrochi (vt spe-
ro) futuri sitis, quorum præcipuum est munus docere popu-
lum; hoc etiam in docẽdi munere estis erudiendi; præcepta
huius artis, quam Ecclesiasticam Rhetoricam nominauimus,
vobis tradenda sunt: qua in re non mihi esse recusandum la-
borem præfandi aliquid ad vtilitatem studiorum vestrorum
iudicaui; cùm vehementer cupiam (vt sæpè iam dixi) vos
esse optimos, & doctissimos, veros angelos Dei, veros inter-
nuntios populi ad Deum, & dignos bonorum Sacerdotum,
qui ante vos in hac Ecclesia fuerunt, successores. Quid igitur
agam, vt vestris studijs consulam? proponam hæc capita ex-
plicanda, & munere magistri multis iam annis intermisso fun
gar; non magna quædam, sed tamen vtilia, & vestris studijs
(vt opinor) accommodata persequar. explicabo primùm
quid sibi velit illa inscriptio, Ecclesiastica Rhetorica ad Cle-
ricos; secundò loco, quis fuerit scopus in hoc opere; tertiò

dicam de methodo qua est scriptum; & de diuisione librorũ; quartò de vtilitate; quintò quis fuerit auctor operis; sextò de interprete; septimò de legitimo auditore; octauò qua ratione hæc pręcepta sint ad vsum reuocanda indicabo; quę autem proposui, explicabo breuius, & dilucidius quàm potero, & tribus tantùm prælectionibus; alijs enim, & grauioribus occupationibus impedior. Itaq; primum caput aggrediamur, quod pertinet ad inscriptionem. Quia homo ab alijs animalibus, ratione, & sermone differt; vt sermone quo differt ab alijs animalibus, alijs etiã hominibus excelleret, eosq; iuuaret; Rhetoricam artem inuentam legimus, quam docti homines descripserunt, artem bene dicendi, esse collocandã in genere artium sermocinalium, & earum quæ proprium semper finem non consequuntur; non enim semper persuadet orator, & quamuis non persuadeat, boni oratoris nomen non amittit; esse inquam Rhetoricam artem sermocinalem; comperietis in illa tabella, quam vobis proponimus, & quam vobis memoriæ commendandam putamus; continet enim omnes scientias, & omnes artes, & qua ratione inter se quasi quadam affinitate coniunctæ quædam sint, qua ratione etiam distinguantur; hanc nemo vestrum non commendet memoriæ: afferet enim hæc distinctio artium, & scientiarum vobis non minimas vtilitates, in omni vita, & ad doctrinæ existimationem, quæ si cum humilitate coniuncta sit, non est negligenda, non minimum conferet. Rhetoricam distinxit Plato magnus sanè philosophus; alteram in Phædro nominauit philosophicam, cuius præceptis, mortales ad bonum perducerentur, eamq; miris laudibus effert; alteram in Gorgia dixit vilem, abiectam, & adulatoriam, qua, lenocinijs quibusdam, populi allicerentur, ac deciperentur; quo loco idem Plato quatuor enumerat artes, duas ad animum, & duas ad corpus pertinentes. Præceptorum copiam, quibus animus conseruatur, appellat artem, siue facultatem legalem, quamuis propriè scientia appellari possit; iudiciariam verò, appellat facultatem, qua animus corrigitur. idem scribit, corpus conseruari arte gymnastica, quæ constat exercitationibus moderatis, & opportunis; medicina sanari, cuius tria sunt instrumenta (vt omnes sciunt) diæta, pharmacia, & chirurgia,

tutius autem instrumentum est diæta, hoc est, ratio victus. Hac distinctione posita, vir admirabili ingenio præditus facit quatuor artes adulatorias, abiectas, & viles; quatuor (quas nominaui) simulantes, & affectantes. Sophisticam, affectantem legalem, affectant enim sophistæ, & aucupantur famam sapientiæ, cum ab ea longissimè absint, & quos venantur adolescentes (vt idem ait Plato) diuites in primis maximè solent corrumpere; nominat oratoriam, affectantem iudiciariam; patres enim patriæ haberi voluerunt oratores, & cū sæpè propriæ gloriæ studerent, seditiones maximas concitauerunt, & respublicas euerterunt, quam rem non est necesse pluribus exemplis confirmare; nominat fucatoriam quandā artem simulantem gymnasticam, qua nonnulli, seipsos, & alios decipientes, coloribus, & fucis quibusdam, imbecillitatem corporis; aut etiam morbos tegunt, & robustiores se esse iactant, quàm sint, quod in primis fœminarum vitium est, quæ ridiculo, & miserabili quodam conatu pulchriores student haberi, quàm sint, propriam faciem plerunque fœdantes, & sibi ipsis, & valetudini parum consulentes, quarta erat ars vilis, abiecta, & adulatoria, quæ simulabat medicinā; ars coquinaria, palato tanquā regi seruiens, & corpora plerunq; debilitans, & corrumpens; qua distinctione, Socrates, Rhetoricam facultatem; analogiam, & proportionem quandam habere cum coquinaria per irrisionem dixit; quanquam (vt verè dicamus) ridentem dicere verum, quid vetuit? Cicero qui maximam in dicendo laudem est consecutus, ita hac de re iudicauit, Socratem in irridendis oratoribus, oratorem summum apparuisse. Nos hæc missa facientes, Rhetoricam non adulatoriam, vilem, & abiectam, qua, seditiones concitantur, nec philosophicam tantùm, qua ad bonum philosophis cognitum, homines perducerentur, hoc est ad morales virtutes; sed Ecclesiasticam, qua, ad beatam, & æternam vitam populus erudiretur, qua, regnum Dei augeretur, sæuissima sathanæ tyrannis minueretur, & sancta Ecclesia ornaretur, tradimus. Illud nomen, Ecclesiastica, additum est, vt intelligatur, nihil contineri in hac arte, quod magistra veritatis Ecclesia non probet, non doceat, quod in sanctis literis, aut in sanctis doctoribus non reperiatur, aut saltem per simili-

litudi-

litudinem quandam, ad interpretationem ſacrorum librorũ, aut ad ſententias patrum non poſsit referri: neque meo iudicio quenquam debebit offendere, quòd nomine Rhetoricæ vtamur, cum iam oſtenderimus, & Platonem, Rhetoricã philoſophicam cognouiſſe, & cum iam explicauerimus, quid eo nomine intelligamus. Ariſtoteles de ſylogiſmo primum, deinde de varijs ſpeciebus ſylogiſmorum, diſſeruit in logicis; ità nobis liceat huius nobiliſsimæ artis Rhetoricæ, quæ Eccleſiaſtica dicitur, ſeparatim præcepta tradere; quemadmodum etiam ille vir ſeparatim de ſylogiſmo demõſtratiuo, qui ſcientiam pareret, libros duos conſcripſit; & quemadmodum nomen Rhetoricæ nõ impropriè (vt oſtendimus) vſurpauimus; vſi etiam ſumus alio nomine minimè vſitato; loco enim concionatoris, ſiue doctoris, vſi ſumus ſæpè hoc nomine oratoris Eccleſiaſtici; tum quia nobis non fuit propoſitum, concionatoribus, viris in multiplici doctrina verſatis, qui iam multis exercitationibus, & laboribus, Eccleſiæ Dei profuerunt, & magnam laudem ſunt conſecuti, præcepta tradere; tum maximè, quia accommodauimus pauca hæc præcepta quæ tradimus, breuibus etiam ſermonibus qui habentur inter Miſſarum ſolemnia, aut etiam qui habentur in ſocietatibus ad excitandos homines ad pietatem; in quibus tantùm qui verſantur, concionatoris præſtantiſsimo nomine, minimè dignos putaui. ita autem oratorem Eccleſiaſticam deſcribimus, non virum bonum tantùm (quemadmodum definiuit Quintilianus) dicendi peritum; ſed virum non ſolùm bonum, & dicendi facultate inſtructum; verùm etiam ſanctis quibuſdam moribus venerabilem, auctoritate à Chriſti Vicario, ſiue ab eius miniſtris Epiſcopis, ſibi conceſſa, non ſeipſum ſed Chriſtum prædicantem; & oues Chriſti, ſalutari verbo paſcentem; nõ ſuam, ſed Dei gloriam quærentem; quales, vt vos ſinguli euadatis, vehementer ſtudeo, & opto. Secundum caput erat propoſitum, vt declararemus Scopum huius operis. hic autẽ eſt; vt dicendi facultate inſtructi; mecum ſaluti huius Veronenſis populi, conſulatis. vultis, vt apertius quid mihi in hoc opere propoſitum eſt, explicem? vobis commemoro quæ ſanctiſsimus Archiepiſcopus Braccharenſis, in quodam libello, qui inſcribitur, ſtimulus paſtorum, obſeruauit; de Ioanne

Baptiſta

Baptista scriptum est quòd esset vox, in ea significatione, q ua apud Terentium in illa comœdia, quæ inscribitur Adelphi, illa verba vsurpantur quantus quantus es, totus sapientia es; in quo etiam sensu legimus in fabulis philomelam dictam totam vocem; quam cum vidisset lupus, quia eam magnũ quid esse, ex voce putauerat, ita dixisse fertur; tu tota vox es, nihil præterea. Scopus igitur huius operis (charissimi filij) non est alius, nisi vt philomelæ Dei sitis, nihil præterea; voces Dei sitis, organa diuinæ bonitatis, & tubæ Christi. & quãuis etiã sine his præceptis in nobilissimo concionandi munere, versari facilè possitis, à Spiritu sancto, qui est verus magister, edocti, & dicendi exercitatione adiuti: vtilia tamen vobis fore hæc pręcepta putauimus; quidquid enim scriptum est in hoc opere, ex obseruatione sanctissimorum hominum, & grauissimorum scriptorum, collectum est. Interrogatus B.Dominicus, qua ratione, pulcherrimas res quas dicebat excogitasset; & ita diceret, vt audientes in admirationem traheret, respondisse fertur; ea se in charitatis libello reperisse. Verissimum est (quis neget?) optimam magistram esse charitatem; energiam quandam, & quasi vitam orationi afferre; sed tamẽ (vt B. scribit Bernardus) vt lucere tantum, est vanum; ita ardere tantùm, videri potest parum; & idcirco cum charitate coniungendam esse scientiam, & præceptorum cognitionem, quispiam iure existimauerit, Ad reprimendam hominum superbiam, & ad erudiendos nos ad humilitatem, iussit Dominus, vt artes, & scientiæ labore compararentur; quamobrem labor suscipiendus est à vobis alacriter, vobisq; est enitendũ, vt hæc, quæ collegimus præcepta, ita ad vsum reuocetis, vt me nunquã meæ industriæ pœniteat, B. Iob de seipso loquens dixit; si fructus terræ absq; pecunia comedi; quæ verba explicans sanctissimus Pontif. Gregorius interpretatur, nihil esse aliud; fructus terræ sine pecunia comedere, quàm Ecclesiæ emolumenta percipere, & prædicationis officium non præstare. Multi fuerunt viri, ingenio, & doctrina excellentes, qui, præcepta ad dicendum tradiderunt, quorum copia ne obrueremini, & ne varijs exemplis, quæ vestræ saluti, & populorum, nullam, aut minimam vtilitatem afferrent, vestra studia retardarentur, scriptum est hoc opus. Vos autem moneo,

vt

vt caput huius artis, quàm Ecclesiasticam Rhetoricam nominauimus non putetis (vt Cicero suæ Rhetoricæ putauit) celare artem, sed præstare quæ docueritis. Quo loco imprimatis velim in animis vestris tres pulcherrimas sententias; primam Gregorij Nazianz. quem, nihil (si eius in dicendo vim consideremus) prohibet, nos appellare christianum Demosthenem; oportet prius mundari, & sic alios mundare; oportet lumen fieri, & sic alios illuminare; sapientem prius fieri, & sic alios facere sapientes; ad Deum accedere, & sic alios ad Deum adducere; sanctificari, & ita sanctificare, manus habere rectas, & sic cadentibus porrigere manum. altera est sententia B. Augustini, quæ, date operam, vt nunquam in vos possit conuenire; exaudi te ipsum, durissime, immanissime, surdissime doctor; quid mihi lingua aurea, & cor ferreum? cum multo facilius sit loqui, quam præstare quæ loquimur. ita se res habet, magis mouent facta quàm verba; & maiore in honore illi habentur, quos cum videmus, admiramur, quàm cùm audimus. pulchra etiam sententia est B. Gregorij; cuius (inquit) vita despicitur, restat, vt eius prædicatio contemnatur. Hæc ideo à nobis dicta sunt, vt intelligeretis, Scopum nostrum fuisse; clericis tantùm præcepta tradere, & illis quidem bonis; eorum studijs prodesse, nobis propositū fuisse, vt Ecclesiæ, & populo christiano consuleremus. & hęc hodierno die satis dicta sint, fortasse etiam plura, quàm oportuit, vt à vobis possent memoriæ cōmendari; sed quia tribus prælectionibus omnia, quæ proposuimus capita, sunt explicanda, ideo tam multa di ximus.

PRÆLECTIO SECVNDA.



TERTIVM erat caput, charissimi filij; vt de methodo, qua, hoc opus est scriptum, & de diuisione etiam librorum, diceremus aliquid, ita se res habet; omnis pulchritudo, ab ordine proficiscitur; ita vt ordo à Platone appellatus sit anima rerum, & appellari etiam possit anima artium, & scientiarū.

Declaro, quid ſit methodus, vos diligēter attendite; ea enim quæ, multo tempore, & non minimo etiam labore collegerā, breuiter, & dilucidè (vt ſpero) vobis, ante oculos ponam, quæ, ſi diligentiam adhibueritis, maximam vobis vtilitatem afferent, non ſolum ad intelligentiam huius operis, ſed ad variam, & multiplicem rerum cognitionem. Itaq; methodus ſic deſcribatur, quemadmodum deſcripta fuit à Philopono Ariſtotelis interprete: via breuis docendi, cum ratione inſtituta; ille autem docendi rationem optimam tenet, & vir (vt ita dicam) methodicus nominari poteſt; qui adhibet modū docendi, qui adhibet inſtrumenta accommodata tractandis theorematibus; & qui in ſcientijs, & artibus diſponendis, ordinem quendam vniuerſalem ſeruat. Modus docendi, in hoc in primis eſt poſitus, vt habeatur ratio rerum, & perſonarū; diuerſo enim modo, res traduntur, vt diſciplinæ mathematicæ, formam ſolam conſiderant: naturalis ſcientia conſiderat omnes cauſas, ſed in primis materiam, philoſophia de moribus, atq; etiam artes, maximè per cauſam finalem tradātur. Quòd ſiquis diſciplinas mathematicas docens, ommiſſa forma, alias cauſas inueſtigaret, ita moralem philoſophiam tractans, per alias potius cauſas, quàm per finalem doceret; is non addhiberet modum docendi; is methodum ignoraret. Cùm autem diuerſa ſint genera hominum, & alij moueantur exemplis; alij ſubtilibus argumentis conuincantur; ſi quis ad populum (vt nonnulli faciunt) ſermonem habens, exquiſito, & auſculatorio illo docendi genere vteretur, is ſanè careret methodo. Inſtrumenta autem docendi artes, & ſcientias, ſunt quatuor, nec plura, nec pauciora; quod quidem, hac ratione comprobari poteſt: nam aut docemus eſſentiam rei, aut probamus proprietatem aliquam ineſſe rei; eſſentia autem, & natura rei explicatur definitione; definitio autem cum ex genere, & differentia conſtet, genus inuenitur reſolutione, differentia diuiſione; quamobrem diuiſionem, & reſolutionem, docti viri dixerunt, ſeruire definitioni; demonſtratione vero oſtenditur, aliquam proprietatem ineſſe ſubiecto. Rem illuſtremus exemplis, è morali philoſophia ſumptis, vt fiat notior. Virtutem moralem dicimus habitum in mediocritate conſtitutum; hæc eſt eſſentia virtutis: huius

defini-

definitionis genus, est habitus; quod quidem genus, instrumento resolutionis inuenitur, hoc modo; qui ex virtute agit, non agit temerè, nec est varius: verbi causa; qui virtute iustitiæ est ornatus, non temerè exercet iustitiam, neque interdū est iniustus. ex habitu igitur agit; præterea cùm prudentia, iustitia, temperantia, & fortitudo, sint virtutes, & veluti species; in quo illæ consentiunt, illud erit genus; hoc autem est habitus: diuisione verò reperitur differentia, hoc modo: cùm habituum animi, alij sint intellectiui, alij actiui, & actiuorū, alij sint in excessu, alij in defectu, alij in mediocritate positi; virtus certè est habitus, non in excessu, neq; in defectu, sunt enim vitia, vt auaritia, & prodigalitas, sed in mediocritate positus, vt liberalitas: sic autem ostenditur hæc proprietas; verbi causa, virtutem expetendam esse, quia est bona, quia est amabilis; quod sic ostenditur: omne bonum est expetendum, virtus est bona, ergo est expetenda: hoc ipsum quod dixi, alijs exemplis illustrare, esset superuacaneum; facilè esset quamplurimis. Porrò ordo non solùm in distinctione rerum, & auditorum, & in quæstionibus tractandis, sed etiam in disponenda tota arte, & scientia, versatur. Est autem ordo, dispositio partium inter se, & est quædam relatio; hæc autē est, aut simplicium partium ad magis compositas aut cōpositarum ad simplices, aut reductio partium ad vnum. Vnde tres oriuntur ordines, resolutiuus, compositiuus, & definitiuus, resolutiuus est aptus ad inueniendum, compositiuus ad docendum, definitiuus ad memoriam. Compositiuo vsus est Aristoteles in logicis: tractat enim de summis rerum generibus, hoc est de decem prædicamentis, deinde de propositione, tertiò de sylogismo, deq; eius speciebus, demonstratiuo, dialectico, & sophistico; eodem vsus est, in philosophia naturali, incipiens à principijs, & progrediens ad corpora simplicia, deinde ad magis composita, huncq; eundem ordinem licet animaduertere, in tractatione sacræ theologiæ, quam, viri ingenij acumine, & multiplici doctrina præstantes, adhibita methodo, tradiderunt: primus omnium Latinorum, Ioānem Damascenum scriptorem Græcum imitatus, is, qui magister sententiarum est appellatus: agit enim primùm de Deo, deq; eius attributis, deinde de creaturis, tum de homine, deque

Christo, propter nos homines, & propter nostram salutem, homine facto: vltimo loco de virtute, deq; sacramentis disserit. hunc ordinem compositiuum, naturæ ordinem etiam, docti homines appellarunt. Resolutiuo vsus fuisset Aristoteles, si artem logicam aggressus esset explicare; à syllogismo; & si in philosophia naturali, de animalibus primum egisset, & vltimo loco explicasset principia; aptior est multò hic ordo ad inueniendum, quàm ad docendum. Definitiuus ordo, est cùm statim à principio operis proponitur definitio; & nihil aliud tractatur, nisi explicatio ipsius definitionis, quem ordinem adhibuit Galenus in arte medicinali, & nos conati sumus adhibere, in hac Ecclesiastica arte tradenda. Sic enim definimus Rhetoricam Ecclesiasticam; esse artem inueniendi, disponendi, & eloquendi, omnia, quæ ad salutem animarum pertinent, docendo, mouendo, & conciliando, vt persuadeamus, regnum Dei augeamus, & minuamus tyrannidem sathanæ. Quorsum hæc (dicitis charissimi filij) A nobis ideo hæc, multo iam tempore intermissa, & penè oblita, repetenda iudicauimus; vt ostenderemus hoc, quod vobis proponimus, opus, non prorsus carere methodo, adhibitus est modus docendi, habita ratio rerum, de quibus agitur, crassa quadam minerua, ad vestrum captum, præcepta tradita sunt: sunt etiam cõprobata exemplis, ex sanctis patribus sumptis, populariter scriptis, hoc est, quibus populus possit instrui. Instrumenta quatuor, de quibus diximus, in toto opere adhibuimus: Diuisione sæpe vsi sumus, cùm legem distinximus cùm de varijs virtutibus, & peccatorum generibus egimus, inuenientes locos communes. instrumento resolutionis adiuti plurimũ sumus: definitionibus abundat opus. quid essent singulæ virtutes, & peccata, aperuimus: demonstrationibus ab effectis, interdum vsi sumus; nam demonstrationes à causa, afferre non fuit necesse, cùm præcepta Rhetoricæ tradamus; verbi causa, cùm probauimus, neminem lædi, nisi à semetipso, quia peccatum tantùm est malũ; cùm ostendimus, humiles esse sapientes, quia seipsi cognoscunt: in tradẽda autem tota Ecclesiastica hac arte in vniuersum, libuit ordinem definitiuum adhibere, accommodatum ad memoriam; vt iudicarem, tenenda quidem, & memoriæ mandãda esse præ-

cepta,

cepta, sed exercitatione, ad vsum reuocanda; in ijs pręceptis discendis, multum temporis minimè ponendum; plura esse boni sacerdotis officia, præcipuum docere, quod fit non tam præceptis, quàm sancta quadam simplicitate, & vitæ exēplo. Distinximus autem opus in tres libros, grauissimum philosophum, & naturæ scribam Aristotelem imitati: primo enim, qua ratione auditores docerentur: secūdo, qua ratione commouerentur: tertio, qua conciliarentur, aperuimus. ita (vt summus ille vir fecit) nos etiam conati sumus, hoc opus distinguere. Integram autem totius operis diuisionem, in quadam tabella constituemus, ad vsum studiorum vestrorum; vt cum præcepta vobis explicabuntur, ea non omnino vobis noua videantur. De vtilitate huius operis, dicamus aliquid, vt magis ad diligenter legendos hos libros excitemini. Attende tibi, & doctrinæ; insta in illis; hoc enim faciens, & te ipsum saluum facies, & eos, qui te audiunt, scripsit B. Paulus ad Timotheum. Saluum igitur cùm faciat seipsum, & alios, qui in ecclesiastico dicendi munere, ritè versantur; facilè perspicitur huius artis vtilitas, qua præcepta ad benè dicendum, continentur. D. Gregorius, tātò facilius, & citius, remitti vnicuiq; peccata, scripsit, quantò diligentius quis, populis munus prædicationis præstiterit. Quod de Episcopo, sanctissimus Episcopus Braccarensis (quē paulò ante nominauimus) scripsit, liceat mihi accommodare etiam ad parrochos. Quid est aliud (charissimi filij) aut quid aliud potius esse deberet Parrochus, quàm sol suæ paretiæ? homo totus ignitus, animarum saluti totus intentus, exemplo semper, verbo sæpissimè prædicans? vt sitis igitur lucernæ ardentes, Ioannis Baptistæ præcursoris Domini imitatores, Ecclesiasticæ Rhetoricæ cognitio non minimum proderit. quàm magnum sit lucrum, vel vnam tantùm animam lucrari Christo. eiusdem Saluatoris testimonio confirmari potest; qui de peccatore pœnitentiam agēte, dixit; lætitia exultare choros Angelorum, & beatas omnes animas, quæ visione Dei perfruuntur: non vnam, aut duas, quod est magnum (vt diximus) sed innumerabiles anima, ciuitates integras, & prouincias, Ecclesiastici oratores ad Deum conuerterunt, erroribus multis purgauerunt, ad sanctam religionem traxerunt, legibus, & sanctis institutis

 seditio-

seditiones, & perturbationes varias sedantes stabilierunt: quod quàm acceptum sit Deo, & quàm vtile ei, qui hoc potest præstare, quiuis facilè intelligit. De vtilitate hæc satis dicta sint. Plura dixissem, si fuisset necesse; sed quoniam (vt animaduerto) ad hanc facultatem percipiendam, satis vestra sponte estis incensi; reliqua capita explicemus. Laudantur auctores librorum; vt inde, eorum auditores excitentur, ad eos studiosè legendos: idcirco interpretes Aristotelis, eũ miris laudibus efferunt, & non immeritò summum philosophum, naturæ miraculum, & eiusdem veluti fidelissimum scribam nominant, vt inde homines ab eius studium alliciãt: sic fecerunt Platonis, sic Ciceronis, sic etiam scholasticorum, hoc est, magistri sententiarum, B. Thomæ interpretes. De huius Ecclesiasticæ Rhetoricæ auctore, quid dicam? cùm reuera, quis fuerit eius auctor, non sit facilè statuere. vt paucis, quomodo se res habet, aperiam: nec meum est hoc opus, nec non meum. Carolus Cardinalis Borromeus (de quo, quia non adest, hæc pauca mihi liceat dicere) vir certè, excellenti pietate in Deum præditus, & ad pristinum candorem ecclesiæ restituendum, his temporibus, à Deo ecclesiæ datus, is vir, qui nunquam aliud cogitat, quàm nobilissimam illã Mediolanensem Ecclesiam ornare, & alios Episcopos, quos omnes fraterno quodam amore complectitur, ad idem studium, non cessat excitare; ita vt Italorum Episcoporum stimulus nominari meritò possit; is (inquam) animo concepit hanc Rhetoricam Ecclesiasticam, à principio (vt ingenuè fatear) me etiam aliquantulum repugnante, & eius sententiæ contradicente: delineaui opus, laboraui etiam, quantum occupationes meæ multiplices concesserunt, aliquot menses. Doctissimus vir, & præstanti iudicio pditus, frater Hieronymus Vielmius ord. præd Episcopus Emonensis (quo etiam doctore, dum Romæ, magna sua cum laude, publicè sacram Theologiam profiteretur, sum vsus) delineato à nobis operi, magnã vtilitatem, pro sua multiplici doctrina, & magna in me beneuolentia, afferet. aliqui etiam, e patribus societatis Iesu (quã societatem filij, siquis florem ecclesiæ, iudicij, & bonarum literarum sanctam quandam academiam nominet, nõ errabit) iuuabunt hoc opus; & homines in sacrarum literarum studio,

&

& sanctorum patrum lectione versantes, ea præstabunt, in expoliendo hoc opere, quæ ipse, varijs occupationibus distractus, magno etiam labore, præstare minimè possem. Curabit etiam Cardinalis amplissimus, Ecclesiasticæ Rhetoricæ (vt ita dicam) pater, vt eruditi homines, & in Ecclesiastica eloquentia versati, quos fouet, quos etiam alit, aliquid laboris, & industriæ, ad perficiendum hoc opus conferant. filij, hoc opus cum erit perfectum, si Cardinalis Borromei opus esse existimabitis; putate eius auctorem esse Spiritum Sanctum; Spiritus enim Sancto (vt multa sunt inditia) vir ille Dei ducitur: si meum putabitis, quia illud delineauerim; ex patris vestri industria, & labore, aliquot fructus percipietis: quem enim magis non doceant paterna præcepta, quam aliorum? & quis domestica disciplina non delectetur magis? & hæc hodierno die sufficiant.

PRÆLECTIO TERTIA.



DICAMVS de interprete Ecclesiasticæ Rhetoricę; quod non facimus, vt illum, qui interpretaturus est hos libros, doceamus, non eget enim ipse (vt opinor) meis præceptis; sed quia spero, fore aliquando, vt è vobis futuri sint aliqui, qui hanc eandem Ecclesiasticam Rhetoricam, ijs, qui succedent acolytis, in vestra schola, & ijs, qui in seminarium admittētur, sint explicaturi. Qui ad munus docendi deligitur, rarò admodum accidit, vt ei desit satis bonum ingenium; & in primis etiam artibus, & in ea potissimùm, quam explicaturus est, non sit versatus: siquis enim, adiumento ingenij caret, quid est, cur alios velit docere? Regium est (filij) docere, videtur enim, aliqua ratione, qui docet, dominari, impellere, & trahere animos, quocunque vult: quo loco facere non possum, qnin deplorem peruersam quorundam opinionem, qui genus hominum admodum vtile, contemnunt, atquē etiam in inuidiam adducunt; quasi verò, cùm non turpe, immò honorificum sit discere, non magis honorificum sit docere. sed

profectò id accidit, vt qui in docendi munere versati sint, male audierint, & contemptui haberi cœperint, quia sordidè nobilissimam docendi artem exercuerunt: quò magis aliqui pueros docent, etiam in primis grammaticæ elementis, eo magis amandi, atq; in honore habendi essent, quia misericordiam nobilissimam virtutem maximè exercent: sed præclarum, immo potius sanctum officium docendi, innocenter, & sanctè exercendum est. Nos autem quid requiramus in interprete Ecclesiasticæ Rhetoricæ, diligenter attendite. Iudicium requirimus, cognitionem in primis Rhetoricæ, Dialecticæ, & primarum artium, studium sanctorum patrum, diligentiam, modestiam in disputando, atq; etiam humilitatem. Iudicium doctus vir appellauit succum prudentiæ, quod in hoc maximè consistit, vt interpres non omnia, eundem in locum congerat, ea tantùm scligat, quæ ad interpretationem loci, quem explicandū suscepit, pertinent; alia in aliud tempus ommittat, vt præstanti iudicio vir Horatius præcepit in sua Poetica. Iudicij sanè magna est penuria, hac tempestate, quod quidē, magna ex parte, à superbia proficisci, iure quispiam posset existimare. Dum.n.non haberi doctissimi viri, magistri horum temporum timent, inculcant sæpè quæstiones difficillimas: nihil aut parum ad verba, quæ sibi explicanda proposuerunt, pertinentes; ita vt commodissimè dici possit: non erat hic locus. Iudicij largitor est (vt cæterorum bonorum) Dominus. A natura, semina iudicij insunt, in præclaris quibusdam ingenijs, quæ tamen exercitatione, & consuetudine doctorum hominum excoluntur. Ausculatorio, & exquisito docendi genere non vtatur interpres Ecclesiasticæ Rhetoricæ; breuitati, & perspicuitati studeat; non vir magnus, sed perspicuus interpres haberi cupiat: ingenijs vestris consulat, non famam doctrinæ aucupetur. optamus vehemēter, vt in pulcherrimis illis libris, quos Aristoteles scripsit ad Theodectem, sit versatus: ad illius enim grauissimi viri imitationem, hoc opus studuimus disponere. ex commentarijs, qui scripti sunt in eos libros, multa sumere poterit, quæ vestris studijs maximè conferent. Grammaticam nutricem omnium artium, & scientiarum, non immeritò alio loco appellauimus, & sæpè huius ætatis deprauatam consuetudinē

deplo-

deplorauimus, quòd quidam fine lacte huius nutricis, veluti infantes, ad nobilissimas artes se conferant; quod in publicis etiam gymnasijs accidere facilè quispiam poterit obseruare. Placebit igitur, vt in explicanda hac Rhetorica Ecclesiastica, non solùm congruè, sed Latinè etiam, & (si fieri poterit) elegantia quadam Ecclesiastica, interpres sententias explicet. Cum autem magna sit affinitas inter Rhetoricam, & Dialecticam; mihi valde probatur, vt is, qui munus Ecclesiasticæ Rhetoricæ explicandæ suscepit; in dialecticis sit versatus, hanc in primis ob causam, vt de varijs argumentorum generibus, de enthymemate, de exemplis, deque locis communibus possit ita disserere, vt facilè, ea quæ dixerit, in animis vestris imprimantur. Optamus vt in sanctorum patrum libris sit versatus huius Rhetoricæ interpres, ad hunc vsum, vt præcepta, quæ tradita sunt in hoc opere, exemplis magis illustrentur; & non solum vt vestris studijs magis possit prodesse, sed etiā vt prosit operi (quod etsi non est editum, quia non est perfectum, vobis tamen ita postulantibus, explicari permittimus) illud augeat, atq; etiam exornet; & idcirco modestiam, & humilitatem in eo etiā requirebamus. quamobrē? dicitis. ob hanc causam, non minus modestiàm, quàm doctrinam, in Ecclesiasticæ huius Rhetoricę interprete optamus, ne vos erudiamini ad ostentationem; & ne argutijs quibusdam, ea, quæ diuinitus vobis tradita sunt, iudicij semina, ista vestra ætate corrumpantur. Hanc ob causam S. Greg. Nazianz. in libro de moderatione adhibenda in disputando, tradit quasdam regulas admodum vtiles, quibus ad modestiam, & humilitatem possitis erudiri. ita enim summus ille vir scribit: non modestum tantum, & humilem eum appellamus, qui de seipso parcè, & cum paucis loquitur, & infirmos humaniter complectitur; sed qui locum dicendi, libenter illis, ad quos pertinet relinquit, & se fatetur nescire, quod non optimè tenet. & paulò post inquit, se malle esse ignarum, quam curiosum, & stupidum, quam audacem in pronunciando. quæ verba vtinam considerarent illi, qui tanta cum voluptate dē omnibus rebus altercantur: vtinam etiam considerarent ea, quę idem vir grauissimus in primo libro de Theologia scripsit: nō esse cuiusuis, neq; quouis loco, neq; quouis tempore, de re-

bus diuinis differere: quod quidem ante hunc Theologorum eloquentifsimum virum, animaduertit etiam Plato, qui in feptimo de repub.libros prohibuit adolefcentes,in vtranque partem, argutis quibufdam difputationibus cōtendere, idq; duplici de caufa, ne ad oftentationem erudirentur, & ne iudicium corrumperēt; quæ cautio multò magis in facra Theologia eft adhibenda; adolefcētibus in primis, atq; etiam illis, qui in fcholaftica doctrina verfantur, nunquam (vt in bene inftitutis monafterijs, & congregationibus, fieri confueuit) difputationes inftituantur, nifi præfentibus ijs, qui norint,& pofsint, difputantes in officio continere, & eorum argumēta foluere. Quamobrem modeftum in primis effe, hoc eft,alienum ab omni arrogantia, & oftentatione, de feipfo, rarò, & parcè loquentem, in difputationibus gloriā minimè captantem, cupimus effe Ecclefiafticæ Rhetoricæ interpretem. non tam enim difputationibus, quàm dilucida, & breui quadam explicatione, pręcepta Ecclefiafticę Rhetoricæ in adolefcentium animis funt imprimenda. Requiro etiam humilitatem: tum quia humilitas eft foror fapientiæ; tum maximè ne indignum putet, viro, illis, quæ dixi, adiumentis inftructo, librū adhuc minimè editum, & nondum perfectum interpretari; quod tamen faciet, fi gloriam Dei, & veftrorum ftudiorū vtilitatem (vt pium hominem decet) fpectabit. Iam verò feptimum fequitur caput, quod erat, vt de legitimo auditore Ecclefiafticæ Rhetoricæ diceremus.vel mediocre etiam ingeniū fufficit, vt quis hac in arte pofsit proficere; eius enim præcipuus auctor eft Spiritus fanctus, qui vt effugit fictos, & non habitat in anima fubdita peccatis, ita bonitatem amat. Bonitatem igitur,quam puritatem nobis liceat nominare,in auditores huius operis requirimus. Hoc animo ad audienda hęc præcepta, vos conferatis, vt animas perducatis ad Chriftum; faciatis primùm,quæ alijs facienda proponitis; ideò hæc præcepta edifcatis,& mandetis memoriæ, vt matri veftræ, vt Ecclefiæ Veronenfi feruiatis, vt Epifcopum,& patrem veftrum, aliquàndo veftra opera adiuuetis. Quo loco, facere non pofsum, quin feruentia quædam ingenia (vt modeftifsimo verbo vtar) quæ me fæpe triftitia afficiunt, alloquar, quæ nulla doctrina fatiari ifta ætate poffunt, quæ magiftros etiam doctos interdum

interdum fastidiunt, & Veronensis diœcesis finibus minimè contenta, vagantur nimium, & quid cogitant, sæpè nesciunt; ingrati, & desertores filij, se stultè à matris amplexibus, conantes diuellere; quasi verò multi inueniri possint patres; & alio in loco facilè sit reperire cibum, quo eorum animi pascantur, lacte materno suauiorem. Ita se res habet, mihi credite: nec omnibus Romæ parati sunt magni honores; nec sunt etiã expetendi; sequuntur etiam interdum, qui eos fugiunt. Quamobrem mundum vestrum putetis Veronam, & Veronensem diœcesim. Ideò enim in hac diœcesi nati estis; ideò tot, & tam magnis laboribus erudimini, vt matrem vestram consolemini, vt patrem vestrum magnis laboribus subleuetis. Diligentia (charissimi filij) est necessaria. Quare commodissimè accidit (vt opinor) vt hoc opus non sit editum, vt singulis diebus, eius partem vobis describere, sit necesse. Hoc conferet plurimum ad excitandam, atque etiam alendam diligentiam vestram, & fiet fortasse, vt scribendo hæc præcepta, memoriæ vestræ magis hæreant. hoc certè est verissimũ, antequam ars imprimendorum librorum esset in vsu, non tãtus fortasse fuit numerus eorum, qui docti appellari voluerint; sed ij, qui eo tempore literis se tradiderunt, fuerunt longè doctissimi; ita vt, qui proximis annis vixerunt, & magno in honore sunt habiti, cum illis doctrina, minimè conferri posse videantur. Diligentia vestra apparebit in hoc, si nõ semel hoc opus descripseritis. Quòd si Demosthenem legimus, vt populum Atheniensem, in quam vellet sententiam, trahere; octies conciones Thucididis descripsisse; quantò magis seruus Dei, minister Ecclesiæ, vt animas lucretur Christo, easq; ad cœlestẽ patriam perducat, Ecclesiasticam Rhetòricam, artem maximè vtilem describere, & eius præcepta in animo suo imprimere debebit? Diligentiæ etiam laudem assequemini, si vobis, singuli cõmentarios, memoriæ causa conficietis; in quos, quæ singuli diebus audieritis, congeratis. vt legere, & non intelligere neglìgere est; ita audire, & non commendare memoriæ, & non reuocare ad vsum, quod audieritis, conterere tempus est. Scitis, in quo diligentia vestra potissimum sit posita? in hoc, vt sæpè interrogetis magistrum vestrum, adhibita magna modestia; interrogetis etiam doctos viros, qui in hac Ecclesia


clesia nô desunt: pulchra enim & apposité facta interrogatio, & opportuna dubitatio, est indicium diligentiæ, & ornat vestram ætatem. Requiro in primis humilitatem: noui enim è vobis quosdam, qui multum proficerent, si se iam profecisse non arbitrarentur. ex ijs etiam, quibus vos successistis, quibus non deest ingenium, & mediocris etiam cognitio, boni sacerdotes, atq; etiam Parochi euasissent, si sibi ipsi non defuissent, si nouissent illud, atq; etiam obseruassent: festina lentè. itaq; inscribatur antè fores huius gymnasij: puri, diligentes, atque humiles tantùm ingrediantur. Vltimo loco erat propositum, vt diceremus, qua ratione, Ecclesiasticæ Rhetoricæ præcepta ad vsum essent reuocanda. Quod si explicarē, vt res ipsa postulat, quarta etiam prælectio esset necessaria; sed (vt dixi) alijs grauioribus occupationibus impedior. Non est difficile, præcepta, vniuscuiusq; artis discere, atq; etiàm memoriæ mandare; difficile est, illa ad vsum reuocare. Præcepta Rhetoricæ, præcepta Dialecticæ, theoremata etiam artis medicæ, breui tempore, facilè percipi possent, vt autem ad vsum reuocentur, vix vna sufficit ætas. Quamobrem B. August. scriptum reliquit; acria ac feruentia ingenia, exercitatione potius, & imitatione eloquentissimorum hominum, quam Rhetorum præceptis, ad laudem peruenire consueuisse. Quòd si quis idem iudicauerit; non ideo tamen concludet, nô vtilem esse, præclaris ingenijs cognitionem etiam pręceptorum, quę ex ea ipsa obseruatione, qua adiuuantur, proficiscuntur. Hûc in modum reuocabitis ad vsum ea præcepta, quæ de credendis tradita sunt: verbi causa, explicantes illa verba Saluatoris, dicta Mariæ Magdalenæ: fides tua te saluam fecit. De vtilitate credendi, dicetis; fidem non sufficere; ostendetis, operibus esse comprobandam: credendum Deo, quia nunquam fallit, quia est optimus, quia est potētissimus, quia est sapientissimus: poteritis etiam sumere definitionem fidei, quæ est posita, vbi de virtutibus agitur: & inde sumendæ propositiones, sumenda etiam argumenta ad dicendum. ita etiam explicantes illam propositionem: si quis diligit me sermonem meum seruabit: vitam christianam esse regulam amoris ostendetis, omnes calamitates nasci, quia vtimur fruendis, & fruimur vtendis (vt S. dicebat Aug.) quia non diligimus, quæ diligenda

ligenda ſunt, quia in diligendo peruertimus ordinem; exhibitionem operis, eſſe indicium amoris; ſermones Dei, eſſe præcepta Dei. Adhibebitis autem locos, qui in ſecundo libro explicati ſunt, ad excitandum amorem pertinentes. Deinde vtemini illis formis dicendi, de quibus in tertio egimus, monebitis, hortabimini, increpabitis, comminabimini, nitemini, omni ſtudio, & diligentia, vt ab amore ſæculi, populum pertrahatis ad amorem Dei. Ad vſum reuocabitis præcepta; ſi in conſcribendis ſermonibus, quos coram me habere conſueuiſtis; interdum diligentiam adhibueritis; ſi hanc legem vobis præſcripſeritis; nihil vos dicturos, quod cum præceptis huius artis non conſentiat: quod aſſequemini, ſi in margine locos citabitis, ſi antequam in publicum prodeatis, inter vos conſeretis, quod dicturi eſtis; rogantes fratres, vt vos corrigant. Admittere autem reprehenſiones, eſt præclari ingenij, & bonorum morum indicium. Vobis etiam contigit Acolytus, vt Patrem Alexium Figliuccium, quem habetis côſcientiarum veſtrarum moderatorem, eundem habituri ſitis iudicem, & correctorem veſtrorum ſermonum, virum bonum, & eccleſiaſtica eloquentia ornatum, quem quotidie auditis. Sed quia nimium, hodierno die ſermonem protraxi, vt abſoluerē, quæ propoſueram; aut vt capita quæ propoſui, attingerem; finem facio, & vehementer hortor fratres meos Canonicos, qui adſunt, vt cùm ipſe vos præſentia iuuare, nô ſæpè (vt optarem) poſsim; ipſi vos iuuent ſua præſentia, & ſuis cohortationibus excitent; quod eos facturos, pro ſua in vos charitate, & pro amore, quo affecti ſunt, erga hanc communem matrem veſtram, & ſponſam meam, Veronenſem Eccleſiam côfido.

FINIS


AVGVSTINI VALERII
EPISCOPI VERONÆ,
DE ACOLYTORVM DISCIPLINA
LIBRI DVO.

Ad Acolytos Veronenses.





VERONÆ,
Ex Typographia Hieronymi Stringarij, & fratrũ.
M D LXXXIII.



FRANCISCVS ADORNVS SOCIETATIS IESV

CLERICIS SEMINARII ECCLESIAE MEDIOLAN. S. D.



VGVSTINVS Valerius Veronæ Episcopus, vir pietate, eruditione, & prudentia singulari, in eam curã diligentißime incũbit, vt iniuncto sibi à Deo Opt. Max. muneri satisfaciat: & vniuersi quidem gregis sui saluti inuigilat, Cleri tamẽ, et præcipue iuuenum qui ad Ecclesiasticam disciplinam informantur, peculiari diligentia profectibus studet nihil prætermittens, quod eorum pietatem, et studia aliqua ratione promouere poße existimet; totius enim suæ Diœcesis, quæ latißima est, salutem ex cleri probitate, et doctrina pendere intelligit. Quare prælectionibus, exhortationibus, præmijs, mi-

nis, ac pœnis, eos ad disciplinam Ecclesiasticã, suscipiendam, quæ in morum sanctitate, & diuinarum rerum cognitione consistit, inflammare, et incitare non desinit: scripsitq; superioribus mensibus in hunc finem libellum. quem volebat ille quidem suis tantum, idest Veronensis Ecclesiæ clericis seruire: verum cũ in manus piorum, & doctorum hominum venisset, dignum iudicarunt, quẽ iuuenes omnes, præsertim ij, qui in seminarijs iuxta Trident. Concil. Decreta instituuntur, præ manibus haberent, ac sedulo versarent. Hoc ego eorum iudicium, cum à Patribus societatis Iesu vestris et morum, & literarum magistris, cui & ipsi maximè assentiebant accepissem, decreui in vestram et clericorum omnium vtilitatem illum rursus edere, auctum capitum distinctione, quia ad intelligendum plurimum lucis præsertim iuuenibus afferret. Vobis autem Mediolanensis Seminarij Clericis meam hanc operam dicare volui, quod eius auctori, me nihil gratius facere posse putauerim. Cum enim ille amplissimum Card. Borromeum Archiepiscopum vestrum vnice colat, cui in

pri-

mis scit, vestram pietatem, et eruditionem summopere curæ esse, libentissime vobis hanc meam operam collocatam esse intelliget, quæ ad ea omnia, quæ vos spectare oportet consequenda, stimulos, & igniculos quosdam iniiciat, & principia, ac quasi semina quadã subministret; sanctissimo autem Cardin. & Archiepiscopo vestro, qui tantopere in restituenda Ecclesiastica disciplina laborat, non poterit non probari hoc meum iudicium, cum eam hoc vno libello conclusam præ oculis continuo habere possitis; Religiosis etiam eruditisq; præceptoribus vestris, qui hunc libellum magnis laudibus extulerunt, eoq; ad ætatem vestram instituendam, cum ob præceptorum sanctitatem, tum ob styli candorem, Ecclesiastica grauitate, & puritate conditum, aptius inueniri nihil posse censeant; probatum iri certo scio. Reliquum igitur est, bonæ spei, atque indolis iuuenes, & Mediolanensis Ecclesiæ alumni, vt hoc non tam meum, quàm optimi et doctiss. Episcopi munus, nedum hylari vultu suscipiatis, sed maxima attentione legatis, & exequi quæ legendo didiceritis, studeatis.

ſic etiam fiet, vt Deo in primis, cuius ſingulari beneficio, ad Eccleſiaſticam diſciplinam vocati eſtis; Deinde Illuſtriſs. Cardinali Archiepiſcopo veſtro, totiq; Mediolanenſi Eccleſiæ, quorum liberalitate veſtra ſtudia aluntur, ſatisfaciatis



AVGVSTINI VALERII EPISCOPI VERONÆ,

Ad acolytos Veroněſes, de ipſorũ diſciplina

LIBER PRIMVS.

In hoc agitur de doctrina acolytorum.



QVo tempore post multos bonos, & ſanctos epiſcopos, qui diuinitus Veronenſi eccleſiæ obtigerunt, Dei benignitate, & Sedis Apoſtolicę beneficio ipſe epiſcopus ſum factus, multæ ſanè erãt cauſæ, quamobrem præſtantiſsimum, & difficillimum hoc munus nõ abſq; magno timore ſuſcipiendum iudicarem. Sed illa in primis cogitatio, fore aliquando, vt mihi neceſſe eſſet Deo adminiſtrationis huius reddere rationem, timorem mihi vel horrorem potius maximũ incutiebat: cum præſertim, quis eſſem, non plane ignorarem, nec, qua ratione tanto muneri, atque officio poſſem ſatisfacere, viderẽ. Suſcepi tamen onus, hac ſpe fretus, non defuturum mihi benigniſsimum patrem Deum, qui illud mihi imponebat, quique nemini opem ſuam imploranti deeſſe ſolet. addebat etiam animum, quod intelligebam, multos Veronæ bonos ſacerdotes eſſe, quibus fidelibus adminiſtris vſi erant qui ante me fuerunt epiſcopi: quorum conſilio, & opera me quoque adiutum iri ſperabam. quæ ſpes me certe non fefellit. Hi cum mihi pro ſua religione, & prudentia huius eccleſiæ ſtatum exponerent, & ex me audirent, non ſolum ea quæ ante oculos, &

præ manibus essent, nobis administranda, sed in posterũ etiam esse consulendum, hoc in primis ad spẽ futuri temporis attulerunt, quod ex vobis assiduè prodituri sacerdotes essent, quorum perpetua serie ecclesiæ religionem, sanctimoniam, disciplinam propagare possem. Itaq; cum cætera, quæ tempora postularunt, studiose, atque alacriter administrare cœpi, & in vinea Domini, eius ope, ac præsidio fretus, operam meam nauare, tum in hanc perpetuæ sobolis spem mihi omni cura, studio, labore, diligentia incumbendum duxi. Cumq; sacrosancti Concilij Tridentini auctoritatem, & decreta secutus, non sine sententia proborum, & religiosorum hominum, nouum clericorum seminarium instituissem; animum, studiumque meum contuli & ad illud excolendum, atq; augendum, & ad vestram disciplinam, ne paulatim obsolesceret, tuendam, sanciendam, optimisq; legibus, atq; institutis astringendam. eam enim intelligebam rerum instabilitatem esse, humaniq; ingenij à labore, atq; industria propensionẽ ad ignauiam, vt quæ vel optime instituta sint, huius tamẽ intermissione officij, atq; diligentiæ sensim in peius delabantur. Hæc me ratio, & paternus in vos amor impulit, vt in his episcopalis muneris occupationibus, aliquid tamen temporis vestris studijs tribuerem, explicarem vobis Euangelium Iesu Christi, Saluatoris nostri, & catechismũ ab ecclesia Romana, parente nostra, profectum, & editũ, hocq; in primis opusculum scriberem ad vestra studia, moresq, informandos, quod vobis debebit esse gratissimum. Scribit enim ad vos episcopus vester, scribit pater vester, scribit is, à quo vestrorum studiorum, & virtutum testimonium vobis est expectandum. legite igitur hunc libellum, & efficite, vt huius laboris, quem pro gloria Dei, & pro vestra vtilitate suscipio, vos magnum fructum cepisse non solum ego, verum etiam omnes intelligant.

Naturam

Naturam hominis in primis considerandam; præstantissimum animal esse hominem, natum ad contemplandum & agendum; ad imaginem Dei conditum, intellectu, voluntate, ac memoria præditum. Cap. I.

ATQVE vt inde capiatur exordiũ, vnde maximè conuenit, sic primum habetote, præclarissimum animal, hominem, natum esse ad contemplandum, & agendum: eos verò, qui malorum omnium escam, & ignobilissimã humanæ naturæ lenam, & adolescentiæ perniciosam consiliariam, voluptatem, sequuntur, non esse dignos nomine hominis: magnum miraculum esse hominem, paruum mundum, ad imaginem, & similitudinem Dei formatum, ad cognoscendum eundem cœli, & terræ gubernatorem, & benignissimum patrem Deum: quo cognito, quatenus in hac vita cognosci potest, illum amet, atque ad illum fruendum tota mente, & cogitatione feratur. Hæc si non ignorabitis, cogitabitis aliquid semper præclarum, dignumq; homine Christiano, & seruo regis nostri Iesu Christi, atq; acolyto huius ecclesiæ. Afferent vobis hunc fructum hæ sententiæ, si eas sæpe repetieritis, quod pudebit vos vestræ inertię, atque inscitiæ. Nobilissimum animal homo (ita vnusquisq; vestrum secũ meditabitur) ad contemplandum, & agendum in hanc lucem est editus: ego vero nulla de Deo cognoscendo diligẽdoq; cura attingor: nihil ago dignum homine: monitores odi: magistris non studiosissime do operam: in sacris concionibus audiendis non sum, vt debeo, assiduus: vanitate sæculi, & erroribus vulgi delector. Considerate quæso imaginem, ad quam effecti estis: in quam si intenderitis animum, facile, quod dicam assequemini. Deus est trinus, & vnus: vt ex primis Christianæ doctrinæ rudimentis, & maxime ex symbolo Athanasij discere potuistis: Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Item in anima hominis, cum vna sit, sunt tres facultates, mens, voluntas, & memoria. nunquam hæc è memoria vestra excidant. Mens, siue intellectus (idem enim significant) datus est vobis, vt Dei gloriam, potentiam, sapientiam, & bonitatem cognoscatis: necnon quæ ad salutem

Gen. 1.

tem

tem consequendam pertinent. hæc autem sunt, Deum ge-
rere curam humanarum rerum paterno quodam amore, Iesum Christum, filium Dei, in hunc mundum venisse pro salute omnium, eius sponsam, sanctam matrem Ecclesiam esse veritatis magistram: quam qui sequitur, errare non potest: à qua qui recedit, in omnes errores, & in varias calamitates incidat necesse est: symbolo Apostolorum, Decalogo, Septem sacramentis, Oratione Dominica, contineri omnia, quæ Christianis hominibus cognitu, & factu necessaria sunt ad beatam vitam comparandam. Voluntatem verò, quæ brutis animantibus est denegata, quia quicquid agunt, naturæ impetu agunt, scitote vobis tributam esse, vt Dei præceptis obtemperetis, & ad eius voluntatem, vestram conformetis: æqualibus, qui ingenio, aut doctrina vobis præstent, non inuideatis: eorum exem plo excitemini potius ad labores in studijs perferendos: nemini detrahatis: magistrum, vt patrem, honoretis: obseruare demum studeatis præcepta, quæ in paruo libello, quem coram me recitare consueuistis, comprehensa sunt. Pretiosissimum vero thesaurum, memoriam, quamobrē putatis vobis datam esse? fortasse vt nihil vnquam ex illo proferatis, vtq; ex nobilissimo dono nullum fructum capiatis? memoria data est vobis ad recordanda maxima, & illustria beneficia rerum omnium cōditoris Dei in genus humanum, & in primis ea, quæ in vnumquemq; vestrum contulit: quæ tanta, & tam varia sunt, vt nō solum verbis, sed ne cogitatione quidem completi possitis. Quod enim estis, quod viuitis, quod varijs morbis non affligimini, quod discitis, quod scribitis, quod cœlum spectatis, vt vno verbo dicam, quæ maxima, quæ mediocria, quæ minima bona habetis in hac vita, & habent omnes, sunt Dei beneficia, sunt veluti libri, in quibus descripta est clemētia, & benignitas illius, ad cuius imaginem facti sumus omnipotentis Dei. & quemadmodum omnia, quæ cœlo, & terra continentur, seruiunt Deo, tanquam principi, & autho ri omnium rerum: ita oculos, aures, omniaq; instrumēta sensuum, linguam ipsam, & quæcunq; in homine sunt, habetis ad hunc vsum, vt ijs eidem Deo largitori seruiatis,
ac

ac, quæ vobis præcepit, exequamini. Quamobrem pro charitate mea erga vos paterna hortor, vt, cum in choro versiculum illum Dauidis canitis, Benedic anima mea Domino, & noli obliuisci omnes retributiones eius, cum reliquis, qui sequuntur, oculos, & mentem tollatis in cœlũ, laudibus Dominum extollatis, pro tot, tamq; magnis muneribus, quæ accepistis, maximas illi gratias agẽtes: quorum nolite esse immemores, & in eum ingrati. Frequentate ecclesiam ea modestia, ac deuotione, vt digni haberi possitis, qui Veronensi ecclesiæ ministretis: & Deum orate, vt & ego, quem tanto muneri præfecit ipse munerum omnium distributor, & alij omnes ecclesiæ ordines, in sanctitate, & iustitia ei omni tempore seruiamus. Hãc ipsam memoriam putate vobis datam esse, vt edíscatis ea, quæ vtilia vobis, & ecclesię futura sint, psalterium, antiphonas, &c. præcipuos quosdam locos ex sacris libris, de quibus agam paulo post.

Ps. 102.

Luca 1.

Tria verba D. Bernardi, Quis, quid, & qualis quisq; sit sæpissimè meditanda, quia ad moderandos animi motus plurimum valeant. Cap. II.

FILII acolyti, hoc sit primum elementum vestræ disciplinæ, vt cõsideretis sæpissime illa tria verba, quorum meditationem salutarẽ iudicat D. Bernardus, quid, quis, & qualis sum: & immorantes in singulis, cum profertis, quid, dicite quisque: homo sum, animal ratione præditum, adhibenda est ratio ad Dei cultum, eiusq; gloriam: nihil indignum homine faciendum est. addite, quis sum: Christianus, & acolytus: in Christi militia sequorne regem regum, & dominum dominantium, Iesum Christũ, Filium Dei: an potius aciem desero miser, & turpiter Diabolo, & mundo seruio? sumne vere acolytus, qui lumina feram ad ostendendam sub eo typo illam lucem, de qua legitur, Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum? haberine, aut dici possum ingratus in Deum, & immemor tam præclari beneficij? in tertio verbo magis etiam consistite, & qualis demum sum,

Ioan. 1.

sum, bonus, an malus acolytus, frugi, an iners, lætitia episcopi, an tristitia. ex horum trium verborum meditatione percipietis, Deum paterna charitate vobis prouidisse, vt, nisi vobis ipsi desitis, nihil in hac vita vobis possit deesse.

De necessaria cognitione scholæ Acolytorum, ad quam tria hæc, videlicet ingenium, disciplina, & studium potissimum requiruntur. Cap. III.

CVM autem mihi propositum sit, agere de vera acolytorum disciplina, quæ cōnstat cognitione, & moribus, cumq; iam præcipuum omnis cognitionis, omniūq; virtutum elementum explicauerimus, consequens est, vt de cognitione, quæ vestræ scholæ est necessaria, breuiter & dilucide ad vsum vestrum agamus. Nam, vt scribit Plutarchus, grauissimus auctor, quemadmodum ad colligendos terræ fructus tria sunt necessaria, terra, quæ sit minime sterilis, agricola, qui eam aret, & semen, quod iaciatur: quod si horum aliquid desit, nascuntur spinæ, nō fructus: ita etiam ad colligendos prætiosissimos ingenij fructus necessarium est, vt ingenium à natura datum sit minime hebes, & disciplina adsit, qua excolatur, adhibeatur studium, & diligentia: quæ sunt veluti semina rerum laudabilium. Non ignobile ingenium à natura habetis ferè omnes: benignissimus pater Deus cœlum Veronense diligit, & fouet: non pauca Veronensia ingenia in disciplinis, atque artibus excelluerunt: disciplinam non est cur desideretis; ipse de vestris studijs sum sollicitus, vt debeo: duo semper ex canonicorum collegio, in quo non desunt præstantes ingenio, & doctrina viri, vestræ scholæ præfecti sunt, vos crebro adeunt, de vestris studijs sæpe cogitant. quamobrem si non euaditis, quales cupimus, si existimationem vestræ scholæ non retinetis, si degeneres acolyti à quibusdam habemini, vestra culpa est, reprehendite, & accusate vosmetipsos: quod fortasse erit initium facilius restituendæ veteris disciplinę, & recuperandæ amissæ laudis.

Duæ in primis artes adolescentibus addiscendæ, tacendi, scilicet & audiendi. Cap IIII.

AC primum duas artes, magni momenti, vestræ ætati necessarias, sine quibus ad vllam frugem nemo vestrum potest peruenire, discatis oportet: artem, vt ita dicam, tacendi, & artē audiendi. ita enim se res habet: qui tacere non didicit, in disciplina Ecclesiastica nullo vnquā tempore potest proficere: & qui præcepta quædā audiendi non adhibet, nihil quicquam vnquam auditu, aut lectu dignum promere ipse poterit. Et vt de silentio primum dicam, mirum est, quantopere fuerit laudatum à sapientibus viris, quantumq; vestræ ætati conueniat. vbi enim rerum vsus cognitionem parere non potuit, nulla est causa, quamobrem temere quis loqui velit. & ideo Salomon, qui vere sapiens est dictus, præcipit adolescētibus his verbis, Adolescens, loquere in causa tua, quando necesse est. *Eccl.32.* Canitis interdum in psalmo, Laudationem Domini loquetur os meū; &, Benedicat omnis caro nomini sancto eius in sæculum sæculi. quibus versiculis colligitur, sermonem esse instituendum ad laudem Dei: ita, vt quicquid, præter necessitatem vitæ, ad Dei gloriam, & ad vsum aliorum hominum non pertinet, id tacendum videatur, adolescentibus in primis, quorum, ob nullum rerum vsum, propriū est errare. Tanti faciendam esse hanc artem silēdi, tamq; necessariam adolescentiæ putaui Pythagoras, vt, antequā vlla disciplina discipulos suos erudiret, quinquennio in moderatione linguæ, & in præclarissima silentij arte eos institueret. Et quoniam de silentio quædam possunt tradi regulæ, quibus, quando illud seruandum sit, poteritis commoneri, vobis in re tam necessaria nolo deesse. considerate, filij, labiorum & dentium muris clausam, & quasi munitam esse linguam, vt sciatis, quàm magna cautio in loquendo sit adhibenda. B. Apostolus Paulus, scribens ad Colossenses, his verbis vtitur, Sit sermo vester sale conditus, vt videat quis, quibuscum loquatur. *Col.4.* Quæ sententia huc spectat, vt omnis sermo superuacaneus, & odiosus tollatur.

Ps.144.

Tacendi

Tacendi ars hæc comprehendit, vt sciamus quid, quibuscum, vbi, quando, quantum, quamobrem, & quomodo loquendum sit. Cap. V.

ET vt perfectius hanc totam rem ante oculos vobis ponam, considerandа vobis sunt hæc capita, antequam quid loquamini, quicum, vbi, quando, quantum, quamobrem, & quomodo loquamini. Videri quibusdam posset, esse admodum facile, seruare leges silentij, & posse tacere. sed id est difficilius, quàm vulgo existimatur, adolescentibus in primis, in quibus sunt acres, & vehementes spiritus, inest cupiditas quædam gloriæ, quæ vanitate sermonum captari solet. Adhibete igitur, filij carissimi, animum ad has salutares regulas percipiendas, & memoriæ commendandas: cogitate, quocum sermonem instituatis. turpe enim est acolyto, si sermonem habeat cum improbis hominibus. Vulgus, solet esse ignobilis & perniciosus morum magister, & decipit incautos adolescentes. In Ecclesia igitur, & in via raro loquamini, aut nunquam, nisi inter vos, aut cum ijs, qui in eisdem studijs ecclesiasticis versantur, è quorum sermonibus doctiores, & meliores euadatis. Quo loco, non possum non vituperare negligentiam vestram, quod cum in hac Ecclesia non pauci sint boni, & docti ex canonicorum numero, atque etiam ex alijs ordinibus, è quorũ sermonibus in doctrina, & moribus non mediocriter possetis proficere, ipsos interdum non adeatis, non interrogetis, non deducatis domum, eos obseruandos, & imitandos vobis non proponatis. fuit laudabilis mos, apud veteres, adolescentum, vt quosdam senes, qui auctoritate præstarent, sibi deligerent, à quorum latere, quantum ipsis liceret, nunquam discederent. hunc morem sequimini. affert enim maximos vsus ista in seniores obseruantia ad disciplinam Ecclesiasticam cognoscendam, ad progressus faciendos in literis, ad mores recte informandos, ad existimationem etiam, quæ non est negligenda, comparandam. Cogitate secundo loco, vbi loquamini. nunquam enim in choro loquendum est, nisi cum Deo. & cum turpe sit omnibus, hanc regulam transgredi: turpis-

turpissimum est vobis acolytis, quibus nihil eo tempore potest accidere, de quo loqui sit necesse. In choro conuenitis, & conuenimus omnes sacerdotes, vt laudem canamus Domino, & pro innumerabilibus beneficijs, quæ Ecclesia sancta, & nos ab eo omnes accepimus, & accipimus quotidie, gratias agamus. Quod si quis eo tempore, quo mens, & oculi in cœlum tollendi sunt, & preces magno spiritu, & deuotione fundendæ ad clementissimum illum cœli, & terræ moderatorem, Deum, importune loqui, & garrire non erubescat, is impudentissimus, & pretiosissimæ rei, temporis, (quod diuinis laudibus decantandis, ac pijs precibus totum dicatum esse debet, dissipator appellandus est. Non est etiam loquendum vobis coram senioribus, nisi sitis prouocati. Quod si aliquem has regulas minime seruare animaduerteritis, eum amice reprehendite, atq; ad morum magistrum eius nomen deferte. Tertia erat regula, vt consideraretis, quando loqueremini. est enim tempus loquendi, & tempus tacendi, vt scribit Salomon in Ecclesiast. quæ regula explicanda esset pluribus verbis. verum hoc loco mihi non est propositum, complecti omnia, sed ea tantum afferre, quæ vobis maxime vtilia fore existimo. In hunc itaq; modum explicetur tertium præceptum, vt eo tempore vobis loqui liceat, quo, sine vllo diuinarum laudum impedimento, ac sine molestia audientium, vestroq; aliquo cum fructu, id posit fieri. Quarto loco erat propositum, vt consideraretis, quantum loqueremini. modestia, & ingenuus quidã pudor commendat incredibiliter adolescentiam: ac nihil potest esse molestius impudente, & loquace adolescente. Quamobrem cauete, ne sermonem longius producatis, quàm oportet: ne ista ratione in contemptum, & odium veniatis. loquaces solent esse mendaces. scriptũ est enim apud eundem, quem nominaui, Salomonem. In multiloquio non deest peccatum: mendaces autem contẽnuntur, & eorum consuetudo, vt periculosa, euitatur. Verum præcipua regula adhibenda est in loquendo, quæ quinto loco fuit proposita, vt diligenter animo perpendatis, quo consilio loquamini. in hoc enim est posita sermonum omnium

Eccl. 3.

Prou. 10

nium laus, & vituperatio: in hoc probi adolescentes, & boni acolyti ab improbis adolescẽtibus, & à degeneribus acolytis dignoscuntur. In hac item tacendi arte ita excelluisse B. Thomam memoriæ proditum est, vt, cum Alberto Magno magistro vteretur, multos menses nemo ex condiscipulis vllum ex eius ore verbum audierit. quam taciturnitatem non recte interpretantes, eum bouẽ appellabant. Quod cum ad Alberti magni, doctoris summi, aures peruenisset, Hic bos, inquit, mihi crede, tanto mugitus dabit, vt ab vniuerso orbe Christiano aliquando exaudiatur. Quare exemplo non solum Pythagoræ, sed sanctissimi, & doctissimi hominis, amate silentium. Elementa praui sermonis enumerat B. Antoninus, archiepiscopus Florentinus: inter quæ, hæc sunt adolescentibus valde perniciosa, adulatio, excusatio peccatorum, irrisio. Cauete ne vobis ipsis adulemini, vestras oratiunculas, vestros versus magni faciatis, & vos ipsi laudetis. Dulce venenum est, adulatio: quod propinare sibi atq; alijs, est miserabile. adulator ignobilis, ridiculus, & odiosus est, & sibi ipsi tandem aliquando perniciosus: pestis Ecclesiæ, pernicies vestræ scholæ, Deo, & hominibus inuisus. Excusatio autem peccatorum, principi, & auctori omnium rerum Deo, qui est pater omnis veritatis, valde odiosa est. Vnde scriptum
Prou. 18 est, Iustus est accusator sui. erratis sæpe, acolyti, disciplinam vestram deseritis, & eo magis erratis, quo errores vestros pertinacius defenditis, nec fatemini ingenue, vos nescire, quod nescitis. si quis alius statum vestræ scholæ ante oculos ponat, obijciat negligentiam, ita vos excusatis, vt omnibus acolytis, qui vnquam fuerint, minime inferiores vos esse prædicetis. nolite decipere vosmetipsos, & iniusta excusatione prouocare animos monitorum vestrorum, atq; omnium, qui vos amant, ad iracundiam. In-
Pro. 3. ter vos etiam ne sint illusores, qui rideant æquales, & fra-
4. Reg. 2 tres suos. Abominatio Domini est illusor, qui Elisæum irriserunt, ab vrsis deuorati sunt. Quamobrem sic moderamini linguam, sic instituite sermonem vestrum, vt referatis omnia ad gloriam Dei, ad disciplinam vestram, & ad vsum, & exemplum æqualium, & fratrum vestrorum. Ac
quoniam

quoniam hæc est res maximi momenti, & initium veræ disciplinæ, à Deo, bonarum rerum omnium largitore, petite, & canite cum Dauide, Pone Domine custodiam ori meo, & ostium circunstantiæ labijs meis, vt non declinet cor meum ad verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis: ita vt nullum verbum ex ore nostro prodeat vanum, & ociosum. sale conditus sit sermo vester, dignus homine Christiano, & acolyto. Propositum erat vltimo loco, vt consideraretis, quomodo vobis loquendum esset, hoc est, lenibus verbis, vsitatis, & sine vlla concitatione, & gesticulatione, adhidita ea, quæ vos decet, reuerentia, præsertim cum loquimini cum senioribus. *Psal.* 4

Honorandos, colendosq; esse magistros. *Cap. VI.*

CVM autem in omnibus artibus, & scientijs, quę traduntur, tria considerentur, is qui docet, is qui audit, & res quæ doctrina explicantur, quoniam omnis disciplina ex auditu fit, antequam progrediamur ad explicanda ea, quæ vobis cognitu necessaria existimari posşint, præcepta quædam, quæ necessaria sunt auditoribus, afferemus. Omitto hoc loco agere de magistro vestræ scholæ, & quantum ingenium, quam præclarum iudicium, quam multiplex, & varie artium, & scientiarum cognitio requiratur in eo, qui vestram iuuentutem instituendam susceperit. Quod ad vos attinet, quem ego, & carissimi mei fratres, canonici, doctorem vobis præficiemus, eum magistrum bonum putetis, illum ametis, & honoribus debitis prosequamini, eius interpretationibus intersitis quotidie, memoriæ mādetis quicquid ipse iusserit, scripta vestra eius iudicio corrigenda subdatis, pareatis demum ei, tanquam patri, eum nunquam irritetis. qui enim ex vobis magistrum irritauerit, prouocabit in se iram Dei, & dabit etiam impudentiæ pœnas. Itaque, quemadmodū in schola Platonis inscriptum erat, vt nemo, nisi mathematicis disciplinis instructus, ingrederetur: ita ante fores scholæ acolytorum inscriptum sit; Nemo impudēs, nemo illusor ingrediatur. scientiæ enim, & omni disciplinæ Ec-

clesiasticæ aduersaria est impudentia, corruptrix est illusio. Qui autem diuino munere in hanc scholam sunt admissi, sciant, se ad seruiendum Deo, ad ministrandũ huic Ecclesiæ, ad percipiendam Ecclesiasticam disciplinã, atq; ad retinendam huius scholæ existimationem venisse. & sciant, si in literis, & moribus profecerint, non defutura ipsis testimonia probitatis, & doctrinæ: consecuturos se illos honores, & illa commoda, quæ virtuti debentur. Si quis autem ex vobis ingratus, & immemor tanti, & tam præclari beneficij, in literis, & in moribus progressus non fecerit, acolytorum scholam dedecorans, nullamq; spem bonæ frugis dederit, is sciat, se non habiturum in omni vita alium, quem inimiciorem putare posſit, quã se ipsum. Nolo male ominari filijs meis. Vtinam qui sine disciplina, & moribus ex ista schola discesserint, aliam vitæ rationẽ ineant, qua posſint, sine magno animi mei dolore, ad honorem Dei vitam suam traducere.

Præcepta auditoribus necessaria, vt auditus præcedat sermonem: auditum regulis moderandum, semper aliquid ediscendum, & ex bonis authoribus colligendum. Cap. VII.

TRADITA sunt quædam præcepta à doctis hominibus, artium, & scientiarum auditoribus: quæ diligenter vobis tenenda sunt: illud autem in primis, vt antequam loquamini, aut scribatis, audire discatis. Vna est disciplinæ via, auditus, qui regulis quibusdam est moderandus adolescentibus, & clericis præsertim. Vos nunquam audete magistri vestri sermonẽ interrumpere. hoc est enim impudentis, & eius, qui proficere non studeat. non est, audientibus alijs, disputãdum cum magistro, nisi
Mat. 10 ab eo prouocati fueritis. scriptum est enim, Non est discipulus supra magistrum: est tamen interrogandus, si qua dubitatio orta fuerit, magna cum modestia, separatim. quicquid ipse docet, bonos scriptores explicans, referendum est ad morum conformationem: verbi causa, cum illa Virg. carmina explicat, quibus singularẽ pietatẽ Æneæ in patrem Anchisen poeta ille eximius exprimit, dicite il-

lud

lud Platonis, Nunquid ego ſum talis? Cumque præcepta oratoria ex Cicerone, documēta poetica ex Horatio affert, cogitet quiſq;, Nunquid iſta adhibeo, cum ſcribo? Ignobilis ingenij doctus quidam vir eſſe putauit, ex quouis ſermone maximam vtilitatem ſperare. accidit enim interdū, vt in explicatione ſcriptorum nihil colligi poſsit, quod antea adoleſcens in ſtudijs mediocriter verſatus ignoraſſet: & tamen illi explicationi fuit vtile interfuiſſe, ad linguæ latinæ peritiam confirmādam. Quare, filij (vos alloquor, qui grandiores natu eſtis) etſi interdum nihil nouum, nihil præclarum vobis à magiſtro veſtro videatur allatum, non vos tamen pœniteat illud tempus dediſſe interpretationibus audiendis. ſcribit Plutarchus, auditores ſimiles eſſe conuiuis, quibus turpe eſt, non eſſe contentos illis cibis, qui apponuntur, & delicatiores importune petere. fronte hilari auditor eſſe debet, & vultu indicare ſerenitatem, & tranquillitatem animi alacris, non procumbens in latus, ſed erecto corporis habitu ſedens, & aciem oculorum in dicentem intendens, ita vt is, qui dicit, animaduertat eos attento eſſe animo, qui ſe audiant, & non, vt plerique ſolent, corpore adeſſe, & cogitatione vagari. Qua in re vtrum reprehendendi ſitis, vos ipſi iudicate, & date operam, vt hæc mea induſtria, quæ minima quæque perſequitur, vt videtis, vobis ſit fructuoſa. Hæc ſit ſumma præceptorum, quæ de auditore attingenda duxi, vt aſsiduitate, diligentia, propenſione animi, & alacritate, magiſtro veſtro chari, & iucundi ſitis. Nullus dies tranſeat, quin diſcatis aliquid, & memoriæ commendetis. qua in re vobis vtile futurum iudico, ſi, antequam eatis cubitū, cum animo ſuo quiſq; recogitet; Nunquid hodie doctior euaſi? potuiſſemne fructuoſius conſumere hunc diem? Placeret etiam, vt vobis ipſi legem indiceretis quotidie excerpendi aliqua ex bonis ſcriptoribus, quibus ſtylus veſter, dicendi magiſter, aleretur, & vos prudentiores, & meliores fieri in dies poſſetis.

De his, quæ in studijs reprehendi solent. Non rectam, scilicet in studendo rationem, adhibere: Tempus in rebus nihili; aut difficillimis terere, noua inuenta conquirere, multa legere, nihil memoriæ mandare, quæ addiscuntur cum doctioribus non conferre, rebus agendis sese intempestiue tradere, ad quem denique scopum referenda sint studia ignorare. Cap. VIII.

IIs breuiter explicatis, antequam ad ea tractanda, quæ nobis sunt proposita, accedamus, vtile futurum existimo, si vos de ijs, quæ in studijs reprehendi solent, monuero. sunt nonnulli, qui satis præclarum à natura habent ingenium, & studijs sunt dediti: quia tamen nõ recta rationem adhibent, non proficiunt: de quibus scriptum est,
2.Thi.3 semper discentes, & nunquam ad veritatem peruenientes. Alij in rebus difficillimis, & minimè vtilibus tempus conterunt: quem errorem Socrates visus est cognouisse, cum dixit, Quæ supra nos, nihil ad nos: hoc est, inuestiganda non sunt, quia cognosci nequeunt: quod nihil est aliud, quam illud Salomonis, Altiora te ne quæsieris. Impro-
Eccl. 3. batum est hoc studium diuino testimonio, cum scriptum
Esa. 48. sit, Ego Dominus docens te vtilia. Nemo autem vestrum audeat vlli se studio dare, præterquam ijs, quæ paulo post à me explicabuntur, neq; alijs magistris vti, præterquam illis, quos vobis constituimus. Alius error committi solet in studijs, cum noua inuenta quæruntur: quod in rebus sacris discendis perniciosum, & exitiale existimatur. filij, cauete diligenter, ne vel minimum à sanctæ matris Ecclesiæ salutari doctrina, à Christo Domino nostro, veritatis magistro, constituta, & martyrum cruciatibus, & sanctitate confirmata, multisq; sanctorum patrum concilijs approbata, discedatis: ne lineam quidem alicuius vnquam scriptoris, quem à gremio eiusdem matris recessisse suspicemini, audeatis legere. quod dico vobis, sanctum & inuiolatum sit non solum in ista vestra adolescentia, sed etiã in omni vita. Erratur in studijs, cum leguntur multa, è quibus nihil mandetur memoriæ. vetus verbum est; Illud tantum scimus, quod memoriæ mandamus: quia ex ijs tantum, quæ thesauro memoriæ reconduntur, vsum capimus.

mus. Vtinam non erretis hac in re plerique vestrum: qui error à negligentia proficiscitur. Non proficiunt aliqui adolescentes, quia non conferunt ea, quæ legunt, cum doctioribus, aut quod sunt nimis timidi, aut quod eos impudenter pudet, fateri se nescire, quod nesciunt: neq; illud attendunt, quod sacræ literæ docent; Audiens sapiens sapientior erit. quidam in studijs versantes ingenium applicant ad res agendas, & illud quasi diuidunt, vt, cum pluribus rebus sint intenti, nihil assequantur. sunt tamē quędam studia, quæ tantam affinitatem inter se habent, vt in ijs versari mediocre ingenium facile posſit eodem tempore: vt studia musicæ, & grammaticæ, rhetoricæ, poeticæ, & reliquarum artium liberalium: quæ tantum abest vt sese impediant, vt alia etiam alijs adiuuentur. Sed nulla re grauius in studijs decipiuntur homines, quam quod ignorant, quo referenda sint sua studia, quo referatur labor, diligentia, industria, quam ponunt in literis. sunt qui veluti mercatores discant; & quod miserabilius est, sacerdotes fieri cupiant, vt inde ditentur. alij famam nominis aucupantes, omnia sua studia ad inanem hominum opinionē consequendam referunt. Vos, acolyti, quibus Dominus, Deus noster, pro sua in vos benignitate, concesſit, vt in istam scholam admitteremini, vestra studia ad Dei gloriā, & ad animæ vestræ salutem, & ad vsum Christianæ reipub. & in primis huius nostræ Veronensis Ecclesiæ referte: in his ponite finem studiorum vestrorum, & mandate memoriæ hæc præcepta, ab amore meo paterno erga vos profecta: & imprimite in animis vestris has verisſimas sentētias: omnes artes liberales, & omnes, quæ magno studio, magnaq; diligentia à veteribus excultæ sunt scientiæ, esse reginæ illius, quam veneramur, bene dictorum, & recte factorum matris, salutis nostræ magistræ, theologiæ, ministras, & ancillas: huic grammaticam, rhetoricam, poeticam, & omnem demum philosophiam, tanquam dominę, seruire: cognitionem literarum humanarum esse vtilem, & fructuosam, sed non efficere homines meliores, immo interdum quosdam euasisse impudentiores, quia literulas quasdam scirent: maximam partem earum rerum, quæ

sciri posſũt, vt Arist. qui summus philosophus est habitus, non negauit, si cum his conferuntur, quæ ignorantur, minimam dici posse: vendidisse, vt ita dicam, rerum omniũ Dominum, Deum, artes & scientias labore: quod quidem expreſsit egregie poeta ille cum scripsit,

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq́; puer, sudauit, & alsit,
Abstinuit Venere, & Baccho:

ad laudem peruenturos multos fuisse, si iam peruenisse ipsi sibi non persuasissent, & iccirco non esse adhibendum præceps studium, nec esse tentandum, omnia eodem tempore discere. inanis gloria non sit proposita. corrumpit enim grauis ille, & perniciosus morbus quamplurima ingenia, & parit calamitates multas. vt summatim dicam, imprimite in animis vestris, & mandate memoriæ, recitate etiam sæpe, nihil sciri ab eo, qui Iesum Christum, filium Dei, salutis nostræ authorem, nesciat: vana esse omnia studia, quæ ad Dei laudem, & reipub. Christianæ commoda non referantur: finem studiorum omnium esse probitatẽ, & innocentiam: artes, & scientias cognoscendas ad hunc vsum, vt illustrius explicentur, & prædicentur summa potentia, sapientia, & bonitas Dei. quæ omnia in primis spectanda sunt vobis acolytis, vt in disciplina Ecclesiastica eruditi sacerdotes aliquando sitis, Dei ministri, adiutores mei, verbi Dei seminatores, & demum internuncij huius Veronensis populi ad Deum, & interpretes ad eundem populum diuinæ voluntatis.

Quatenus in singulis scientijs, & artibus principi Theologiæ inseruientibus sit progrediendum. vbi primum de Mathematicis disciplinis, & naturalibus quæstionibus agitur, de Grammatica, de Græca lingua, de Musica, de Rhetorica, de Poetica, de Dialectica, de hist. gentium & sacra. Cap. IX.

NOLO ego hoc loco multis verbis explicare, & quasi ante oculos ponere omnium scientiarum, & artium distinctionem: quam, cum essem admodum adolescens, didici, & aliquot post annos descriptam legi in quodam Angeli

Angeli Politiani opusculo, sumptam ab eo è Græcis scriptoribus. non enim est propositum persequi nisi ea, quæ maximam vestris studijs vtilitatem posśint afferre: ego de ijs tantum artibus,& scientijs dicam, sine quibus boni sacerdotes nec esse, nec haberi facile possetis. omittam reliquas. Non est necessarium, sacerdotem, ministrum Dei, mathematicis disciplinis præstare, & numerorum rationem accuratam tenere, nisi quatenus ad computum Ecclesiasticum valent. neque in abstrusis Arist. quæstionibus de naturalibus principijs, de cœlo, & Mundo, atq; in alijs huiusmodi studium vobis ponendum est. Grammatica, quæ est nutrix liberalium artium, vobis in primis est discenda. est enim ars magni momenti: quam qui non didicit à primis annis, eam nunquam recte callebit:& quam qui ignorat, se ridiculum sacerdotem præbet. plus habet in recessu ars grammatica, inquit Fabius, quam promittat in fronte: & plus habet operis, quam ostentationis. nam grammaticæ ignoratio peperit multas hæreses, vt scribit B. Augustinus in lib. de doctrina Christiana. & multi, quoniam grammaticæ studium contempserunt à primis annis, quâquam ingenio,& doctrina præstiterunt, ad nullam laudem potuerunt peruenire. Hæc ars cum in ijs sit posita, vt congrue quis loquatur, & scribat; qui vsus, & præceptis grammaticorum,& obseruatione bonorum scriptorum comparatur: ista ætate ita grammaticæ date operam, vt barbarismis ac solœcismis aures auditorum minime offendatis. in quod vitium solent incidere ij, qui ea, quæ legunt, inconsiderate legunt, & eas, quas dixi, regulas ad audiendum non adhibent. Vitabitis autem barbarismos, & solœcismos, si regulas, quæ à bonis grammaticis traditæ sunt, memoriæ mandaueritis, & bonorũ scriptorum, Ciceronis, Virgilij, Horatij, & aliorum scriptis comprobaueritis. qua tamen in re consenescendum vobis minime iudico, neq; tantam operam ponendam in grammaticis putauerim, vt cum Prisciano, & Diomede, si reuiuiscerent, disputare possetis. Vsurpari à quibusdam solet improprie illud, Grammatici certant,& adhuc sub iudice lis est, ad excitandum odium in pulchram,& fructuo

ſam artem. quod qui faciunt, errant. nimium ſtudiũ for-taſſe reprehendi poteſt. ſed iſta veſtra ætate nõ poteſt tanta diligentia in grammaticis adhiberi à vobis, vt eam vnquam vos adhibuiſſe pœniteat. ſunt qui putent, atq; etiã polliceantur incautis adoleſcentibus, ſine grammaticorũ præceptis, quibuſdam tantũ paucisſimis adhibitis obſeruationibus, cognitionem linguarum ſe poſſe docere: qui ſe ipſi fallunt, & alios. inde factum eſt, vt tam pauci mediocriter docti viri reperiantur: quoniam ars grammatica neglecta, vt minime neceſſaria, moleſta, & odioſa ars exiſtimatur. in quem errorem nemo veſtrum incidat. De grammaticis non eſt neceſſe ferre iudicium, qui optimi inter eos ſint, quos ſequi debeatis. omnes ſunt boni. tradunt enim eadem fere præcepta. modo regulas mandetis memoriæ, & ad vſum reuocetis loquendo, & ſcribendo, ſequimini eos, qui vobis proponuntur à magiſtro, & cauete, ne ſcribentes epiſtolas, aut carmina, male ſcribere aſſueſcatis, & peccetis in orthographia. difficile eſt.n. dediſcere, quæ à primis annis loqui, aut ſcribere quis aſſueuerit. Quo tempore coram me diſputare ſoletis, & ex veſtris ſcriptis aliqua afferre, ego illud in primis obſeruo, quis veſtrum ſit melior grammaticus. iacto enim fundamento grammaticæ, reliqua puto vobis fore facilia, ſi animum adieceritis. Et quoniam obſeruatio eſt grammaticæ veluti mater, obſeruationes, quæ ſcriptæ ſunt à doctis hominibus, à Laurentio Valla, ab Adriano Cardin. ab Aldo, & ab alijs grammaticis, aſsidue habeatis in manibus: & ſi quid dubij vobis oriri contigerit, de eo interrogate præceptorem, atq; alios etiam eruditos homines, quos videtis quotidie in Eccleſia. interrogatio enim de ijs, quæ ad literas pertinent, commendat adoleſcentes, & in primis clericos. quod facile facere poteritis eo tempore, quo vacabitis, & non erit commodum magiſtrum veſtrũ adire: cum quo ita verſandum eſt, vt interrogationibus veſtris ei moleſtiam non pariatis. Linguæ græcæ cognitionem quis neget vtilem eſſe? quandoquidem extant ea in lingua tot præclara monumenta præſtantisſimorum ingeniorum, & tot artes, & ſcientiæ ſunt admirabili eloquentia traditæ. ſi

quis

quis græcæ linguæ desiderio flagret, animi sui sensum exprimat, obsequemur vestris studijs. Cur autem in lingua græca eruditi non fueritis superioribus annis, hæ fuerunt causæ, quia dubitatum est, ne studium latinæ, quod magis est necessarium, remitteretis: præsertim cum & musicæ operam dare, & sacris, quæ quotidie fiunt in honorē beatæ Mariæ virginis, & in choro diuinis officijs festis diebus interesse vos oporteat. quas causas non omnino probandas dixerim. si quis enim diei spatium iuste patiatur, & horas diuidat, non deerit tempus, quo nobilissimæ linguæ rudimenta possit discere: quæ didicisse, in omni vita vtile, iucundum, atq; etiam honorificum erit. Quamobrē post hac cognitio græcæ linguæ cum latina coniungatur. inde enim magnos fructus capietis. neq; sunt tam diuersa inter se studia, vt eodem tempore in ijs hominum ingeniū versari non possit, atq; iccirco dubitandum sit, ne distrahatur. si quis arti medicæ, theologiæ, & geometriæ operam daret eodem tempore, is pluribus, & varijs studijs distractus fortasse nihil proficere. huius generis distractionem reprehendit Plato. sed græcæ, & latinæ linguæ cognitio, studium musicæ, rhetoricæ, & poeticæ, vt dixi, tantam inter se affinitatem habent, vt vnius cognitio non minimum ad cognitionem aliarum conferat. grammatica voces considerat: quas tractat, sed diuerso modo, musica: ita vt ille quem nominaui, Fabius Quintil. scriptum reliquerit, perfectum grammaticum inueniri non posse, qui musicam non norit, idque rationibus confirmare non est necesse. Artem musicam necessariam esse clericis, vobisq; acolytis, nemo est, qui ausit negare. sed in hoc musicæ studio aliquæ cautiones vobis sunt adhibendæ. primo, vt illā dulcedinem cantus, cogitationes vestras in cœlum intendentes, temperetis, ponderetis quæ canitis, atq; ad gloriam Dei, & ad excitandam in Christianis animis pietatē, ad sedandasq; perturbationes, voces dirigatis. Qua in re cauendum est, ne, musicæ studio, & exercitatione, studium grammaticæ, & literarum exercitatio tollatur, aut magna ex parte minuatur. & quo tempore musicis erudimini, recordamini vos ab alio magistro expectari alijsque

studijs

ſtudijs eſſe deditos: & nolite eſſe iniuſti in vllam nobiliſſ harum artium, vt tempus, quod dandum eſſet muſicæ, ei ſubtrahatis, & quod in alijs ſtudijs fortaſſe maiore cum veſtro fructu eſſet ponendum, collocetis in muſica. cuius cum multæ ſint laudes, hæc cōmemorari ſolet præcipua, quod ſedat perturbationes animorum, & admirabili quadam vi erigit, & quaſi vehit in cœlum. quam rem comprobant docti homines Pythagoræ exemplo: quē ferunt furentes animos muſicæ harmonia ſedauiſſe, & placidos reddidiſſe. at quid Pythagoram commemoro, aut alia exempla quæro? Dauid rex, homo ſecundum cor Dei, cuius pſalmos tanto cū fructu canit Eccleſia, quotidie Saulem furentem vocum & neruorum harmonia ad mentis ſanitatem ſcribitur reuocaſſe. Quod ſi ſint, qui vos interdum inuitent ad comœdias, atq; ad alia huiuſmodi pernicioſa ſpectacula, ad oblectanda cantu conuiuia, reſpondite, vos quidem muſicæ dediſſe operam, ſed illi muſicæ, quam probat Eccleſia, quæ proſit animis, non quæ eos effœminet, & eneruet, quæ laudem, & gloriam Deo, non vobis applauſum, & hominibus inanem oblectationem afferat. Cęterum, ſi quem reſciuero artem muſicam, quam ſumptibus huius Eccleſiæ didicit, extra vſus Eccleſiaſticos oſtentare, illum ego putabo indignum, qui ad gradus Eccleſiaſticos promoueatur, & de quo vllum vnquam fiat honorificum iudicium. afficietur etiam ijs pœnis, quibus affici ſolent, qui vetus veſtræ ſcholæ inſtitutum trāſgreſsi fuerint. Sunt qui putent, præter has, quas dixi, artes, reliquas omnes liberales eſſe vobis acolytis inutiles: quorum ſententiam B. Baſilius in opuſculo, de vſu, qui capitur ex libris gentilium, viſus eſt refelliſſe. Vtile igitur putauerim, vt rudimenta rhetoricæ diſcatis, & è poetis, & hiſtoricis aliquem fructum capiatis, ſi forte diuinitus ad docendos alios non ſolum exemplo, ſed etiam ſermone vocabimini: & icciirco probandum duxerim veſtræ ſcholæ inſtitutum, vt præcepta rhetoricę ex M. Tullio, & ex Fabio vobis tradantur. qua in re cauendum eſt, ne nimium tempus ponatur. ita enim ſe res habet: rhetoricam niſi quis cito diſcit, nunquam diſcit: & eius vis in vſu potius, quam

in

in præceptorum cognitione posita est. In quibusdam esse ingenia ita acria, & feruentia, B. Augustinus notauit in libris de doctrina Christiana, vt facilius, eloquentium virorum orationes legentes, eloquentes fiant, quam præcepta oratoria discentes. pręcepta igitur reuocanda sunt ad vsum stylo, qui est optimus dicendi effector, & magister: ingenium exercendum est: semina oratoria excitanda, atq; excolenda. Scire tamen debetis, non minimum interesse inter eloquentiam, qua tantam nominis gloriam sibi pepererunt ij, qui in numero oratorum sunt habiti, Pericles, Æschines, Demosthenes, & alij apud Græcos: apud Latinos Crassus, Cicero, & Hortensius, & illam, quę in ecclesiasticis doctoribus requiritur. illis enim fuit propositum, de vnaquaq; re copiose, & ornate dicere ita, vt omnes in admirationem traherent: nostri nihil aliud spectarunt (nostros appello, qui eum secuti sunt quem nos ducem sequimur, Christum) nisi (vt B. Augustini verbis vtar) vt intelligenter, libenter, & obedienter audirentur, verba sequerentur rem, eloquentia ministraret sapientię, veluti ancilla, nihilq; vnquam dicere omiserunt, quod minus eleganter dici posse crediderint. & tamen in eorum libris tantam dicendi vim, tantam verborum copiam, & grauitatem sententiarum admirari possumus, vt cum veteribus illis, quos celebrauit antiquitas, conferri posse videantur. Ingenium, memoria, exercitatio multum conferunt ad dicendum. eorum, qui sermones suos ad honorem Dei, & ad erudiendas animas referunt, magister est Spiritus Sanctus: quo magistro, nihil est quod facile non persuadeatur. Pabulum eloquentię est memoria: quę in ediscendis pręclaris pręceptis ad instituendam vitā exercenda vobis est: cuiusmodi sunt, quę tradita sunt in libris de officijs à Cicerone, & quę sunt scripta in Tusc. quęstionibus, & in libris de finibus bonorum & malorum. Illi loci communes, quos tractatis interdum, me præsente, exercitationis causa, de contemptu mundi, de humilitate, de obedientia, & de huiusmodi quæstionibus, prodērunt vobis multum. Poetas Plato eiecit è repub. quā ipse effinxit, veluti corruptores ingeniorum, & adolescentię depra-

deprauatores. alió tamen in loco eos laudat. quod ita interpretandum est, & obseruandum in vestra schola, vt quatenus corrumpunt mores, dum faciunt plures Deos, de ijsq; falsa confingunt, reijciantur: quicquid ad formandos mores pertineat, excerpatur, & mandetur memoriæ: quoniam miscent vtilia dulcibus, & luminibus ingenij præstant. ideo eis incredibiliter delectari solét adolescentes. afferunt honestam voluptatem, quod loquentes quidam pictores sunt, mores hominum exprimunt, & ante oculos ponunt. Homeri poesin laudem virtutis appellat magnus Basilius in eo libello, de quo mentionem feci, quẽ scripsit ad fratris sui filios. Quod de Homero dictum est, dici potest de Virgilio, in quo multa notari, & colligi possunt exempla virtutum: pietas filij in patrem, de qua dixi, Æneæ exemplo: moderatio animi, ac continentia, cum ille idem Didonis longa illa, commotionis plena, oratione à proposito non reuocatur. alia multa decerpi possunt ex libris Æneidos ad mores informandos, & ad vitam rectè instituendã. Scripserunt theologi veteres carmine Christi, salutis nostræ auctoris, mysteria: vt Greg. Nazianzenus tragœdiam, quam inscripsit Christum patientem. Prudentij etiam carmina leguntur admodũ pulchra. scripsit Christeidem Hieron. Vida, qui Episc. fuit Albensis. Iacobus Sannazarius pulchrum poema reliquit de partu Virginis. atque ille etiam, qui multum nominis huic ciuitati addidit, Hieronymus Fracastorius Iosephi historiam satis pulchris coloribus depingere cœperat. Hos poetas Christianos, si poetis valde delectamini, legite: eorum carmina mandate memoriæ, excitabunt ea in vobis igniculos veræ pietatis, & animos vestros informabunt ad salutaria Christi documenta obseruanda, atq; imitanda. Recordamini illud, Mediocribus esse poetis, Non Dij, non homines, non concessere columnæ. Nolite tempus terere in versibus multis sine vllo verborum, ac sententiarũ delectu, temereq; pangendis, & prauam quandam rationẽ, seu consuetudinem scribendi discere, quam dediscere necesse sit, & nunquã didicisse præstitisset. quæ scribitis ista ætate, ea magna adhibita diligentia scribite, & consulite

viros

viros bonos, & doctos, qui seruabunt illud Horatianum, Vir bonus, & prudens versus reprehendet inertes, Culpabit duros. Nolite putare, quod multa scribatis, & interdũ incaute promitis, iccirco vos laude dignos esse. non multa carmina, sed bona, non longa oratio, sed prudenter & apposite scripta commendant vestra ingenia. multũ confert ad aliquid cum laude scribendum, si quis libenter communicet sua scripta, & amet eos, à quibus ea corrigantur. In dialectica discenda, filij, magna cautio adhibenda est, ne magis necessaria studia, vt minus vtilibus operam detis, omittatis, & ne argutijs quibusdam ingenia vestra distrahantur, solidiorem vero cibum difficilius admittãt. Plato in lib. VII. de Rep. præcepit adolescentibus, ne ante trigesimum annum in dialecticis versarẽtur. cuius pręcepti affert causas, ne certa pro dubijs habeant, iudicium peruertant, contentionibus suis molesti fiant audiẽtibus, quod præceptum illis, qui in hæreditatem Domini vocati sunt, vobisq; acolytis datum esse, quispiam iure optimo possit existimare. cognoscere vim argumentorum, & instrumenta docendi, quid resolutio sit, quid diuisio, quid definitio, quid demonstratio, in quibus consistat docendi modus, est vtile cuius hominũ generi, sed in logicis multum tempus collocare, periculosum clericis, ne dicam inutile, existimandum est. Historias magistri vestri vobis proferre solent in medium, explicantq; interdum Liuiũ, Cæsarem, & Valerium Max. hoc ego non vitupero, laudo potius. magistra vitæ est historia, & testis antiquitatis: ex qua multos vsus poteritis capere. varietas, & inconstãtia rerum humanarum discitur. tot ciuitatum, rerumpub. & regnorum perturbationes, & euersiones ab historicis narrantur: quas audientes definitis, si sapitis, humanas res, fluxas, & caducas admirari, atq; in eam opinionem venitis, nihil esse magni faciendum in hac vita, oculos in cœlum tollendos, cogitationes omnes nostras ad Deum dirigendas, qui solus potest certa, & æterna bona largiri. excitant incredibiliter ad virtutem historiæ, hunc in modũ. Alexander Macedo, vir à vero Dei cultu alienus, captiuas filias Darij ne aspexit quidem: quibus verò continentiæ

præce-

præceptum datum est à Deo, ij se non continebunt? si Decius se deuouit pro defensione patriæ, dubius quid de se futurum esset post mortem: quid homo Christianus, de immortali & beata vita certus, non agat, & patiatur pro fide Christi, & salute Ecclesiæ? Diogenes philosophica quadam libertate contempsit res humanas: quid faciant illi, quibus contemptus huius vitæ est aditus ad vitã ęternam? Quid plura? Socratem cum legitis semper eodem vultu fuisse, iniurias tulisse ęquo animo, sine vllo timore patriæ suæ vitia reprehendisse, modestiæ, atque virtutum omnium exempla edidisse, qui fieri potest, vt hoc vobis in mentem non veniat? Quid si Socrates Christum agnouisset, salutis nostræ auctorem, & omnium virtutum exemplar? tanta moderatio in ethnicis hominibus, tamq; excellentis virtutis species eluxit: & nos, qui sub Christo militamus, intemperantem & impuram vitam agemus? Quãobrem historias legite, & decerpite etiam ea, quæ ad excitandos vosmetipsos, & alios ad virtutẽ possint prodesse: reliqua omittite. Valerium Max. qui scripsit de viris illustribus imitari studuit M. Antonius Sabellicus, qui Christianorum hominum exemplis prudenter opus suum locupletauit. Ioannes Baptista Egnatius Venetus in eodem argumento versatus est, conferens exempla laudabilia Venetorum cum Romanis, & veteribus Græcis. Hos libros non erit inutile legere domi, quo tempore multi, cæco errore ducti, & praua consuetudine decepti, indulgent genio, & quasdam voluptates, quarum paulo post eos pœnitet, aucupantur. Sed velim tamen cum ijs historias Ecclesiasticas coniungatis, immo potius eas legatis libẽtius, ac studiosius. longe enim maiorem ex ipsis fructum, quam ex prophanis historijs, percipietis.

De studio sanctarum scripturarum. *Cap. X.*

ATTICI illas artes; cognitu dignas, quæ cum probis omnibus adolescentibus vobis possunt esse communes. Antequam autem ad studia clericorum, vestræque scholæ propria veniam, vehementer cupio hoc vobis persuasum

suasum esse, sacrarum literarum studium non solum vobis acolytis, sed omni generi hominũ esse maxime vtile. nihil enim quæri potest, quod ad recte instituendam vitam, & ad salutem consequendam pertineat, quod totum in sacris scripturis non contineatur, in illisque expressum non sit. nam, vt scribit B. Chrysostomus, Qui ignarus est, inueniet quid discat, qui cõtumax est, & peccator, reperiet ibi futuri iudicij flagella, quæ perhorrescat, qui laborat, inueniet ibi gloriam, & promissiones vitæ perpetuæ, quibus excitetur ad opus perficiendum: si quis pusillanimis est, & infirmus, addent ei animum sacræ scripturæ: magnanimis, & fidelibus spirituales escæ offerentur, quibus prope ad angelicam naturam accedant: percussis à Diabolo, & vulneratis salutares cibi præsto erunt, qui eos per pœnitentiam reuocabunt ad salutem. Vt summatim dicam, exemplis plenæ sunt sacræ literæ, quibus ad virtutes amplectendas, ad vitia fugienda, & ad pœnitentiam agendam erudiri non solum vos, sed omnes possint. scriptum est in libro Iosue de sacris literis, Non recedat volumẽ legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, vt custodias & facias omnia, quæ sunt in eo: tunc diriges viam tuam, & intelliges eam. in Prouerb. autem scribit Salomon, Iusti sunt omnes sermones mei, non est in eis prauum quid, neque peruersum, recti sunt intelligentibus, & æqui inuenientibus scientiam. Dauid autem diuino spiritu afflatus cecinit, Eloquia Domini, eloquia casta: & alio in loco, Lex Domini immaculata, conuertẽs animas, testimonium Domini fidele, sapientiam pręstans paruulis: Iustitiæ Domini rectæ, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos. quæ omnia à me commemorantur, vt ad sacrarum literarum studium, quo nihil vobis potest esse fructuosius, excitem. Ama scientiam scripturarũ, & carnis vitia non amabis, scribit B. Hieronymus ad Rusticum: & alio in loco idem scriptor egregius, & doctor Ecclesiæ, Pinguissimus, inquit, sermo diuinus est, in se habens delicias: quicquid volueris, ex sermone diuino nascitur, sicut tradunt Iudæi: quoniam quando comedebãt manna, secundum voluntatem vniuscuiusq;, sic sapiebat

Iosue 1.
Prou. 8.
Psal. 2.
Psal. 18

in

in ore. Legite igitur, filij, libros sacros libenter. tanto enim, vt B. Augustinus scribit, magis aut minus sapienter loqui poteritis, quanto magis vel minus in scripturis sanctis profeceritis: non dico tantum, vt verbis B. August. vtar, in eis legendis, memoriæq; mandandis, sed bene intelligendis, & diligenter earum sententijs indagãdis. sunt enim qui eas legunt, & negligunt: legunt, vt teneant: negligunt, ne intelligant.

De diuinis laudibus, Psalmis, horis canonicis, & precationibus, quæ in choro persoluuntur. Cap. XI.

MVLTI clerici singulis diebus in chorum veniunt, & nesciunt, quid sit chorus: antiphonas alta voce proferunt, & ignorant, quid huiusmodi nomen significet: qđ certe turpissimum est. Itaq; scitote, filij, illius, cuius forma in cœlis est, & cuius imperator est Christus, triumphantis Ecclesiæ imaginem esse hanc, in cuius gremio sumus, militantem Ecclesiam: quam ille idem Christus regit sui vicarij, Pontificis max. opera. & quemadmodum in illa cœlesti hierarchia varij ordines Angelorum laudes canũt
Apoc. 9 Domino Deo sabaoth, regi regum, & domino dominantium: ita clericorum varij ordines debitas laudes, hoc est eas, quæ maxime ab homine tribui possunt, Deo reddũt. Puritate igitur cordis angelicam naturam referre debẽt, qui in chorum accedunt. cuius rei illud etiam est indiciũ, quod albis vestibus induuntur omnes, qui in sacrum illũ locum conueniunt. Hoc vbi didiceritis, discite, quid sibi velint antiphonæ. sunt reciprocæ voces, & quædam breuia compendia, quibus integri psalmi proponuntur audientibus ad comparandam attentionem. quæ vt clarius audiantur, alta voce canuntur. Turpe igitur sit acolyto, antiphonas, & versiculos omnes ignorare, nec scire memoriter. Cum verò quotidie audiatis mentionem fieri de horis canonicis, habetote in promptu, quot sint horæ canonicæ, qua ratione recitentur, & qui errores in illis committi soleant: & semper cogitate, vos cœli, & terræ dominum, & bonarum omnium rerum largitorem, Deum allo-

qui,

qui, cum Dauide, ex præscripto Ecclesię. quod si cum in terdum me adire soletis, qui Dei minister, & indignus seruus sum, vt recitetis aliquid, timetis, ne me vel minimum verbo, gestu, aut vestitu offendatis: quanto magis *Psal. 7* in loco sancto illo, in quo adest scrutator cordium, Deus, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, qui penetrat omnes co- *Act. 1.* gitationes, venerari, timere, atque etiam debetis horrere tremendam illam potentiam? Instituite vos, vt, dum in choro estis, nihil aliud cogitetis, quam quæ domum Dei deceant, & illum ipsum, cui laudes canuntur, principem Deum. Omnes hymnos, quos sancta mater Ecclesia canit, ediscite, & inter vos recitate interdum: ita etiã psalmos: de quorum præstantia multa dici possent, quæ prætereunda iudico: cum de psalmorum laudibus elegantissimam præfationem scripserit magnus Basilius, &, post illum, alij multi. Hæc tamen nolim vos ignorare, librum psalmorum, quem appellamus psalterium, comprehendere omnia salutaria documenta, omnibus vsum præbere, futura vaticinari, historias vtiles narrare, leges, & mores vitæ instituere, ad res agendas omnes erudire, &, vt paucis dicam, salutarium omnium præceptorũ esse promptuarium, & pulcherrimum omnium rerum, quæ à poetis, à philosophis, à theologis de perturbationibus sedandis, de vitijs fugiendis, de virtutibus expetendis, atque de assequenda beatitudine inuentæ, & tractatæ sunt, veluti compendium. Cum psalmos canitis, Spiritu sancto dictante canere vos arbitremini: cumq; plerunque dicitis, Beatus vir, qui timet Dominum, & quæ sequuntur: &, Bea *Ps. 111.* ti omnes, qui timent Dominum: imprimatur in vestris *Ps. 127.* animis timor Dei. ita etiam cum dicitis, Beati omnes qui *Ps. 83.* sperant in Domino, &, Beatus vir, cuius Dominus est spes *Ps. 39.* eius, & non respexit in vanitates, & insanias falsas, discite inconstantiam, & vanitatem huius sæculi & omnia vestra studia, cogitationesq; vestras referte in cœlum. Lætitia, & tranquillitas animi appellatus est psalmus, solatium vitæ, & condimentum sacrarum omnium scripturarum, afflictorum consolatio, lætitia gestientium, moderatio, ac temperamentum iracundiæ, ac salutaris ęgris animis me-

dicina. Multa sunt difficilia in psalmis, quæ non solum vos, qui propter ętatem non multum profecistis, sed ij etiam, qui habentur docti homines, non facile intelligũt. sunt tamen quædam ita facilia, ita plana, vt ea nemo non posit percipere. & ideo proponite vobis hanc legem, vt ex singulis psalmis quosdam versiculos mandetis memoriæ, & ad vitæ vestræ, morumq; vestrorum emendationẽ accommodetis: quæ non intelligitis, mandate tamen memorię, vt pręcipit B. Augustinus. aperit enim clementissimus pater, Deus, pro sua benignitate, sensus eloquij sui vno temporis momento: & fit interdum, vt ea sine labore percipiantur, quę intelligi nulla ratione posse aliquis credidisset.

De quibusdam ritibus, exercitationibus ac studijs certis diebus, ac festis in Ecclesia obseruandis, neque per vrbem eo tempore vagandum. Cap. XII.

EST mos huius Ecclesię iam inde ab initio suæ ædificationis, vt singulis diebus solemniter prima luce sacra celebrentur in honorem B. Mariæ virg. vt eam habeat aduocatam, & adiutricem apud Iesum Christum, filiũ suum, Dominum nostrum: vosq; acolyti, ex quadam lege, consuetudine confirmata, illi celebrationi interestis, atq; etiã ministratis. qui mos præterquam quod est vtilis huic Ecclesiæ, incredibile est, quantum ista celebratione deuoti quidam homines recreentur. Vos itaque, in quos eo tempore hominum oculi coniecti sunt, præbete vos eo in munere dignos, qui altari ministretis, & matrem Dei innocẽtis. Sacerdos bonus, Maurus Venetus, quem superioribus annis ad mores vestros perfectius informandos, & ad vestram istam disciplinam non renouandam modo, sed perfectiorem etiam efficiendam præfeceram, instituit, vt singulis diebus festis omnia, quæ in missa recitanda sunt, à vobis explicarentur dilucide, & breuiter. ex qua quidem exercitatione, si in ea perseuerauerit.s, mirabiles fructus consequi poteritis. quorum primus est, quod, antequam ad sacerdotium promoueamini, ea discetis, quæ scitu sacerdo-

cerdotibus sunt necessaria, & quorum ignoratio dedecus plerisq; afferre consueuit. deinde versabimini in sacris literis, & sensim in earum cognitione proficietis. huc accedit, quod horam illam, quæ est media inter celebrationẽ missæ, de qua diximus, in honorem beatæ Virginis, & concionem, quæ habetur ad populum, melius locare vos, & fructuosius non potestis. Orate Dominum pro eo sacerdote: qui superioribus diebus ex hac vita decedens nobis sui desiderium reliquit. fuit enim de vestra schola optime meritus. In illa explicatione aliquanto diligentius vos exercete, quam factum fuerit proximis mensibus: in qua non solum de grammatica debetis esse solliciti, sed de ijs etiam, quæ ad sensa, & ad scopum Ecclesiæ indicandum pertinent. Quamobrem libros illos, qui de solemnitatibus, deq; singulis festis diebus tractant, habete in manibus, solemnitates sunt compendia potentiæ, sapientiæ, & bonitatis diuinæ in genus humanum. apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, & omnium sanctorũ memoriæ sunt cohortationes, aut potius vehementes stimuli, quibus ad veram virtutem amandam, ad vitia fugienda, ad cœlestem patriam quærendam piæ mentes impelluntur. dies Dominicus index resurrectionis Domini celebrandus à vobis: & vt cessatis à negotijs sęculi, ita puritate mẽtis maiore ad Deum preces fundẽdæ vobis sunt, vt vestros gressus dirigat. cauete autem, ne quid dicatis, aut cogitetis indignum seruo Iesu Christi, & acolyto huius Ecclesiæ. Hoc loco nonnullos vestrum possem reprehendere, qui obliti proprij muneris scholam, & vestem, quam induimini, dedecorantes, diebus festis vagamini per vrbem, vbi primum ab Ecclesia discesseritis, & vanitatem mundi vos etiam sectantes, oculos hominum in vos conuertitis. atq; inde audiuntur illæ voces, Hi sunt acolyti Veronenses, spes Episcopi, ornamentum huius Ecclesiæ: hisne moribus præditi succedent optimis sacerdotibus, qui ex eorum schola prodierunt, & cleri Veronensis opinionem tuebuntur? Quãto melius, & vestræ ætati vtilius, vestræq; scholæ honorificentius foret, si eo tempore legeretis aliquid ex veterum monumentis, si psalmos mandaretis memoriæ, aut scriberetis aliquid.

Quid in recensendis, canendisve Septem psalmis pœnitentialibus meditandum sit, item in ijs, qui pro pijs mortuorum animabus in Ecclesia leguntur. Cap. XIII.

SEPTEM Psalmos, qui appellantur pœnitentiales, quia illis ad pęnitentiam inuitamur, de more vestræ scholæ canere singulis diebus soletis: in quibus multa sunt facilia, quibus vos ipsi recreare posſitis, & ad detestanda, ac fugienda omnia vitia, atq; ad contemplandas virtutes eru
Psal. 6. diri. Miserere mei Deus, quoniam infirmus sum, clamabat Dauid. vos quo tempore illum versiculum canitis, recordemini infirmitatem vestram, quod Deum offenditis sæpe, tristitia parentes vestros, & me in primis, qui vos paterno amore diligo, afficitis: ij non estis, qui esse deberetis, verum ingrati, immemoresq; variorum, & illustriū beneficiorum, quæ in vos contulit clementisſimus pater, Deus: pro obedientia proteruiam, pro humilitate impudentiam, pro deuotione leuitatem sæpe ostenditis. Sed de vsu, qui ex psalterio capiendus est, non est necesse dicere hoc loco. pauca vix attingo facillima, & ętati, studijsq; vestris accommodata. Et quoniam sancta mater Ecclesia, omnium salutarium præceptorum magistra, instituit orationes pro mortuis: cum interdum præstatis illud officiū parentibus, & affinibus vestris mortuis, aut illis, qui de hac Ecclesia sunt bene meriti, considerate, quam multa, & quam vera documenta tradita sunt in illis psalmis, qui recitantur, atque etiam in illis lectionibus beati Iob, ad cognoscendam humanam calamitatem, & ad implorandū diuinum auxilium. Peccaui: quid faciam tibi, o custos
Iob 7. hominum? & paulo post, Loquar in amaritudine animæ
Iob 10. meæ: dicam Deo, noli me condemnare: & cætera, quæ ad humilitatem, quæ est fundamentum virtutum omnium Christianarum, & sine qua non potest esse quis saluus, multum prosunt. Hic mirari fortasse aliquis posſit, me in hoc opusculo minima quæq; persequi. cæterum mirari is desinet, si cogitet, me ad vos scribere, qui lacte pascēdi estis, non solido cibo.

De

De studijs necessarijs, & ad acolytos maxime pertinentibus, Christianæ scilicet religionis principijs, quæ sunt symbolum Apostolorum, Decem legis diuinæ præcepta, Septem Ecclesiastica Sacramenta, & Oratio dominica, quæ omnia sunt ab optimis authoribus explicata. Cap. XIIII.

RVdimenta, sine quibus nemo iure appellari potest acolytus, enumeraui. consequens est, vt aliquanto vberius ponam vobis ante oculos ea studia, quæ vobis necessaria sunt, & acolytorum Veronensium sunt propria. Sunt autem hæc, vt discatis prima verissima nostrę religionis principia, quæ symbolo Apostolorum sunt tradita: deinde Dei, & Domini nostri pręcepta, quæ Decalogo continentur, in promptu habeatis: quot sint sacramenta, animæ salutares medicinæ, quanta in illis sit vis, quantam gratiam conferant, sciatis: postremo quæ à principe rerum omnium, Deo, petenda sint, & quo exordio vtendum, vt, quod petimus, assequamur, quæ oratione Dominica expressit ille magistrorum omnium magister, solus verus magister, Iesus Christus, Deus, & homo, & humanæ salutis auctor. Hęc sunt quatuor capita, quibus omnia, quæ à Christianis disci debent, summatim comprehensa sunt. Apostolorum symbolum à Nycęno concilio, & ab Athanasio ad tollendos errores, ita dictante Spiritu sancto, aliquanto fusius explicatũ: explicatio Decalogi, quæ, vt S. Augustinus scribit, quicquid boni in omnibus legibus traditum est, complectitur: septem sacramenta, quibus anima viuit, vita spiritus infirmata reficitur, & cum Deo coniungitur: oratio Dominica, quæ est veluti tabula, in qua depicta sunt omnia, quæ optanda, quæ declinãda, quæq; à Deo petenda sunt. Hęc ipsa capita tractauerunt, vsq; à nascentis Ecclesię Dei primordijs, doctrina, & pietate insignes viri. libri quibus explicata sunt, catechismi appellantur, quasi instructiones, quibus omnes omnium generum, omniumq; nationum Christiani instituerentur. Cyrillus, vir grauis, & magni nominis theologus, catecheses scripsit. scripsit magnus Basilius multa in eandem sen tentiam diuerso tamen titulo. tractauerunt, vt vno verbo

dicam, omnes Græci theologi illa capita, tractauerunt Latini, diuersa tamen ratione, diuersis inscriptionibus. Cyprianus in pulcherrima epistola, B. Augustinus in libro, quē inscripsit Enchiridion. Sed omittamus veteres, quos nec legistis, nec legere facile omnes poteritis. B. Thomas compendio theologiæ hæc quatuor capita ita complexus est, vt nihil omisisse videatur. in eodem argumento, quia admodum vtile est, & salutare, versati sunt quamplurimi: quorum industria, & studium in re tam necessaria est laudandum. Opusculum Petri Canisij de doctrina Christiana breuitate, & perspicuitate probatū est omnibus. Hunc libellum legunt fratres vestri, quos tribus ab hinc annis ex decreto sacrosancti concilij Tridentini, vt ipsi etiā seruiant huic Ecclesiæ, in vnum locum coegimus, & ecclesiasticis sumptibus alimus. hunc legunt, hunc recitant interdum. cupio etiam, vt eundem singuli vos ediscatis, & recitetis me præsente. Lata est hæc diœcesis Veronensis; multorum sacerdotum opera, multis administris in animarum cura egeo. Superiore mense cum ad illos, quos dixi, fratres vestros (omnes.n. estis filij, & de vestris studijs cogitans me ipsum sustento) venissem, per interrogationem & responsionem tractationem aut potius paraphrasim quandam rerum, quæ in catechismo conscriptæ sunt, audiui: quæ incredibiliter mihi probata est, atque etiam omnibus, qui aderant. dabo operam, vt eodem ordine illa ipsa quatuor capita tractentur, & illustrentur ad eorum vsum, atq; etiam vestrum. Vos, qui istius laudis, quam adepti sunt aliqui præclari sacerdotes, quorum opera vtimur hoc tempore, hæredes estis, enitemini, vt spero, studio, & diligentia efficere, vt ea vos etiam commendetis memoriæ, & recitetis, nec vllis in rebus, quæ ad gloriam Dei, & ad studium, & diligentiam vestram patefaciēdam pertineant, vos vinci patiemini.



De Catechismo iussu Pij V. Pont. Max. edito, Enchiridio Christianæ institutionis Io. Gropperij, Confessione fidei Catholicæ Stanislai Hosii, atq; alijs nonnullis insignium virorum pijs lucubrationibus, quæ omnia docet esse accuratè perlegenda; neq; tempus deesse ijs qui horas bene insumere norunt. Cap. XV.

CAtechismus ab hinc triennium est editus Pij V. Pont. Max. iussu, quem ad iuuandam rempub. Christianam, & restituendam veterem Ecclesiæ disciplinam nobis diuinitus videmus datum esse. opus tam præclarum, si sententiarum grauitatem, & lumina etiã verborum spectemus, vt nullum præclarius multis ab hinc sæculis editum docti homines iudicent. sunt enim explicata omnia, quæ ad instituendas animas pertinent, tanto ordine, tanta perspicuitate, tantaq; cum maiestate, vt sancta mater Ecclesia, Spiritu sancto edocta, non homo quispiam, vocem emittere, & omnes docere videatur. Vos qui aliquantũ ætate processistis, legite hunc catechismum septies, & plusquã septies. mirabiles enim fructus ex eo percipietis. quod si in historijs scriptum est, Demosthenem, vt eloquẽtiæ laudem consequeretur, octies descripsisse Thucididem, eaq; ratione omnes illius conciones, plenas argumentis, memoriæ cõmendasse: quanto æquius est, vos, qui in disciplina Ecclesiastica versantes, omnia vestra studia referre debetis ad gloriam Dei, & ad salutem vestram, & aliorum, egregium librum, dictante Spiritu sancto, patrum, qui in concilio Tridentino aderant, decreto scriptum, & Christi vicarij auctoritate editum, octies legisse diligenter, atque etiam descripsisse? Si quid vobis videtur obscurum eo in libro, interrogate præceptorem vestrum, exquirite sententiam sacerdotum, quos, vt dixi, aliquot habetis doctos, & bonos, & vestræ scholæ amantissimos. ego etiam hac in re vobis non desunt, vt scitis. iam enim symbolum apostolorum in magnis occupationibus explicaui. qui meus labor vtinam non sit inanis. sit potius, vt esse debet, fructuosus vobis, & vniuerso clero. Vos etiam hortor, vt Enchiridion Christianæ institutionis, ab Iohãne Gropperio scriptum, quod superioribus annis, Ioannis Matthæi Giberti

episcopi iussu in hac vrbe etiam fuit impressum, cum catechismo conferatis. legatis etiam studiose librum, decies iam amplius editum, qui inscriptus est, Confessio catholicæ fidei Christianę: quem scripsit Stanislaus Hosius, Cardinalis Varmiensis, vir doctissimus, & innocentissimus: quem proximis diebus (quæ eius fuit humanitas) Ecclesiam, & sedem etiam nostram decorantem vidistis. tanto enim iudicio, & tanta perspicuitate ea omnia, quæ ad verum cultum Deo exhibendum pertinent, complexus est, vt nihil addi videatur potuisse. ac in primis, filij, cum acolytorum Veronensium proprium fuerit, cęremonijs se probe instructos ostendere, distinctionem pulchram cæremoniarum à personis, à rebus, à loco, & à tempore sumptam obseruate: quæ nescio an ab vllo alio copiosius ac diligentius sit explicata. Opus Aloisij Lippomani scriptum vernacula lingua eo tempore, quo huius Ecclesiæ curam gerebat, legite. magnam enim vim habet, quod Episcopus scripserit, præterquam quod is episcopus fuit, cuius nomen grata memoria tota hæc ciuitas, & vniuersus sacerdotum ordo prosequitur. Sed in primis eas, quæ tantopere celebratę fuerunt, eiusdem Giberti constitutiones legite diligenter: quas etiã Bern. Nauagerius Card. auunculus meus, singulari pietate & doctrina vir, cui ego successi, in synodo diœcesana confirmauit. Turpe est clericis Veronensibus, ignorare ea, quæ sanctiss. Episcopus, & de hac Ecclesia optime meritus, ad communem vsum scribenda, & edenda duxerit. Hoc loco nemo vestrum dicat, acolyti, à me vos onerari lectione tot librorum. nemo se excuset. capacissimum est hominis ingenium. & qui horas nouit bene collocare, is multo plura, & legere, & in difficilioribus studijs versari poterit. Turpis excusatio est, quam nonnulli vestrum afferunt negligentiæ, & inertiæ suæ, quod pauperes sitis. non defuit tempus Cleanthi philosopho, qui, cum per totam noctem laborando sibi victũ parare cogeretur, interdiu studijs operam dabat: non defuit quamplurimis alijs. Tempus, rem præstantissimam, qua in re ponitis? Paupertatem docti homines matrẽ artium, & sororem industriæ dixerunt. quam rem pluribus

verbis

verbis confirmare non est opus. Vobis, qui in istam scholam admissi estis, non est relictus locus excusandæ paupertatis. suppeditantur enim multa, quibus commode in Ecclesiastica disciplina possitis instrui: quæ non commemoro, quia nota sunt omnibus, & in primis vobis ipsis, atque jis, qui vestri curam habent.

Euoluendos esse singulos sacros libros veteris testamenti, atque ab ijs sententias præcipue excerpendas, Ecclesiaste Salomonis, Prouerbijs, libris Sapientiæ, Ecclesiastici, & alijs, neque oportere deterreri ob loca aliqua obscuriora, & quid in summa ex ijs, prophetijsq; omnibus sit colligendum. Cap. XVI.

VT autem ad ea redeam, quæ ætati vestræ, & studijs sunt accommodata, eorum præsertim, qui grandiores natu breui ad subdiaconatum promouendi sint: quãuis in Ecclesiaste Salomon maturæ virum ætatis instituit, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca, & breuia vniuersa, quæ cernimus, vt notauit B. Hieronymus: tamen quoniam omnibus in hac vita vanitatem palam ostendit, & docet ijs, quæ cito prætereunt, minime esse homini incumbendum, neq; item animi curas in rebus vanis collocandas, recte quasdam sententias ex illo libello edisceretis, illam in primis, quæ statim ab initio proponitur, Vanitas vanitatum, & omnia vanitas: *Eccl. 5.* atq; illam, qua liber clauditur, Deum time, & mandata *Eccl. 12* eius serua, hoc est enim omnis homo. nam hæ duæ sententiæ plurimum conferunt ad Ecclesiasticam disciplinam. De prouerbiorum eiusdem Salomonis libro hæc scribit Athanasius, Quæ continentur libro Prouerbiorum, dicta vocantur sapientum, hoc est, sententiæ, siue sermones, nullam sophismatum fallaciam habentes, neq; per probabilitatis speciem seducentes. & beatus Basilius sic inquit, Prouerbiorum liber, instructio morum est quædam, necnon animi perturbationum correctio: deniq; vitæ in vniuersum documentum, frequentes, ac breues eorum, quæ sunt agenda, continens præceptiones. Quamobrem cum paruulum doceat, quasi de officijs erudiat, ad filiumque

eius sermo crebro repetatur, vt notat B. Hieronymus, delectemini præclaro illo libro: in prouerbijs ediscẽdis exercete memoriam: sale Christiano conditam philosophiam ibi degustabitis. Traduntur multa in libro Sapientiæ, & in Ecclesiastico, de timore Dei, & de alijs virtutibus Christianis salutaria: in quibus vestra ista ętate versandum est. Et quamuis in ijs libris multo plura inuenietis, quæ non facile intelligere poteritis; non est tamen abijciendus animus. tempus, & studium efficient, vt ea vobis memoria tenuisse sit vtile. De reliquis scripturis sacris vobis etiam pleraque degustanda sunt, vt illarum lectioni assuescatis, in quibus iam adultis conquiescendum sit. Hæc interim discite: veteris testamenti libros iussu omnipotentis Dei, dictante Spiritu sancto, editos, amissos propter peccata hominum in expugnatione Babylonica, restitutos per Esdram, vt Athanasius scribit, scriptorem velocissimum, asseruatos, & in summo pretio habitos ab Hebræis, à quibus ad sanctam Dei Ecclesiam peruenerũt, approbatos à Christo, & ab Apostolis, qui ad confirmandam doctrinã Euangelicam ex veteri testamento sententias interdũ integras afferunt, receptos in canonem, conciliorum auctoritate, & totius Ecclesiæ consensu. quod si in illis vobis aliquid videatur obscurum, aut ob vestrorum ingeniorum imbecillitatem difficile, hoc quisq; cogitet: Non intelligo, aperietur mihi sensus, quando Deo, qui est fons omnis cognitionis, placuerit reuelare: interea hoc didici, veterem legem esse quandam dispositionem ad nouam, testamẽtum vetus recte intelligẽtibus esse prophetiam noui testamenti, legem fuisse pędagogum ad Christum: vbi lex definit, ibi Euangelium incipere: legem, & prophetas hæc duo præstare, de Christo vaticinari, & legem viuendi constituere: Christum adimplesse legem, & rectam viuendi formam absoluisse. Prophetarum lectiones dum auditis, aut legitis, scitote Spiritus sancti donum esse prophetiã, quæ non humana voluntate allata, sed diuinitus hominibus à Deo concessa est, & infusa. nihil enim loqui potest propheta Dei, nisi quod Deus in os eius posuerit: vnde os prophetarum, os plerunque ipsius dicitur Domini. beatus Augu-

Gal. 3.
Matt. 5.
2. Pet. 1
Esa. 25. 40. 58.

Augustinus, quicquid in scripturis sacris Christum, & futuram significauit Ecclesiam, prophetiam appellauit.

De libris noui testamenti, atque inprimis de Euangelio, vbi quid Euangelium sit declaratur, & de ipsius præstãtia, ac virtutibus, necnon de eiusdem scriptoribus. *Cap.* *XVII.*

QVod autem ad nouum Testamentum Iesu Christi, Domini nostri, pertinet, quoniã singulis diebus Euangelia recitantur, & epistolæ Apostolorum, in illisq; continentur omnia, quæ ad beatam vitam consequendam spectant, cum recitantur à Sacerdotibus, magna cum attentione audienda vobis sunt. Verum, cum huius præclarissimi, & sanctissimi nominis Euang. mentionem fieri auditis, discite, quodcunq; nuntium bonum dici posse Euangelium: proprio autem vocabulo significare annuntiationem Saluatoris humani generis: atq; hoc modo narratores originis, dictorum, factorum, passionum Domini nostri Iesu Christi, proprie dicti sunt Euangelistæ. Hæ allatæ sunt definitiones à sanctissimis viris. Euangelium est oratio, quæ bonam, & conuenientem rationi rerum annunciationem continet, quę lętum reddunt auditorem, propter vtilitatem, vbi obseruata fuerint, quæ annunciantur. beatus Hieronymus appellat abbreuiatum, ac perfectum sermonem. nominatur varijs nominibus, verbum fidei, virtus Dei, scientia salutis, cœlestis quædam epistola, doctrina Christiana: quæ omnia nomina exprimunt cęlestem vim, quæ diuinitus inest in Euangelio: cuius, vt scribit B. Chrysostomus, scopus est, nunciare in tenebris sedentibus pęnarum sublationem, veniam peccatorum, sanctificationem, atq; iustitiam, redemptionem, cœlorum hęreditatem, cum Dei filio fraternitatem, paternitatẽ Dei, resurrectionem mortuorum, societatem angelorum, & communicationem Spiritus, beatitudinem cœlestem, possessionem gloriæ sempiternam: quæ verba, sumpta ex cõmentarijs beati, quem nominaui, Chrysostomi in Euang. Matthæi, si memoriæ commendaueritis, ad fructuosam, salutaremq; lectionem Euangeliorum magis excitabimini.

Rom. 9. *1. Ti. 4.* *Rom. 1.* *Luca 1.*

ni. Adulta autem ætate commentarios, qui in Euangelia scripti sunt, legetis. Satis vobis nunc sit scire, Euangelia præceptis, mandatis, testimonijs, exemplis abundare: in quibus consistit iustitia, charitas, fides, & perfectio: edita illa esse, vt omnes crederent, Iesum Christum, filium Dei, & credentes piè viuerent: quatuor Euangelistas non omnes omnia conscripsisse, sed alium interdum alia, summa tamen cum concordia veritatis: quod vero discrepare videantur verbis, temporibus, locis, miraculis recensendis, rebus alijs praui momenti, id factum esse diuino consilio, ne ad decipiendum communi consilio congregati, & humana conspiratione Euangelium condidisse viderētur: Deum hominem factum propter nos homines, & propter nostram salutem mirabilia egisse, fuisse crucifixum, mortuum, sepultum, resurrexisse, ascendisse in cœlum, iudicaturum viuos, & mortuos, salutaria præcepta dedisse, minime contrariam legem priori intulisse, Filium Dei esse vnigenitum, eiusdem cum Patre substantiæ esse, magistrū, medicum, dominum animarum nostrarum, regem regū, & dominum dominantium: qui de morte, & de Diabolo triūphauit: omnes hæc scripsisse: in hoc omnes cōsensisse.

Ioan. 20

De Epistolis D. Pauli, item Petri, Ioannis, & reliquis, & quare fuerint conscriptæ, necnon cur aliquæ canonicæ fuerint appellatæ; & quæ in eis argumenta tractentur; de Actis pariter Apostolorum, deq; Apocalypsi beati Ioannis. Cap. XVIII.

Assidue in Ecclesia leguntur Epistolæ B. Pauli, & canonicæ. pleraq; in Epistolis B. Pauli sunt admodum obscura, quæ nō sine maximo labore percipi possunt: & ideo differendum est hoc studium: quod maximum in illis vobis erit adhibendum, cum ad sacerdotium promoti eritis. Velim tamen non ignoretis. quamuis Euāgelio perfectio legis contineatur, in quo nobis bene, pieq; viuendi præcepta plenissime sunt tradita, ita tamen à principe Apostolorum Petro, ab Ioanne, à Paulo scriptæ sunt epistolæ, nimirum, vt, quemadmodum B. Hieronymus scribit, initia nascentis Ecclesiæ nouis causis existentibus præuenirent,

rent, & vt præsentia, atq; orientia resecarent vitia, & post futuras excluderent quæstiones, exemplo prophetarum, qui post editam legem Moysis, in qua omnia mãdata Dei legebantur, nihilominus doctrina sua rediuiua semper populi compressere peccata, & propter exemplum viuendi, libros etiam ad nostram memoriam transmiserunt. Cum autem auditis recitari epist. Pauli, dictante Spiritu sancto scriptas putetis, auctorem autem fuisse Paulum appellatum, doctorem gentium, earundem magistrum, Apostolum gentium, ministrum Christi, Angelum gentium, aduocatum Iudęorum, ex lupo ouem, ex persecutore vas electionis, vocatione inter apostolos nouissimum, prædicatione & labore præcipuum: in illisq; præclara omnia documenta, quæ ad bene, beateque viuendum, ad virtutes propagandas, ad vtilia euellenda, ad gloriam Dei augendam pertinent, reperiri. Recitantur etiam interdum canonicæ epist. Iacobi, Petri, Ioannis, Iudæ. nomen autem acceperunt vel à sacro scripturarum canone, quod hæ ad differentiam earum, quas alij sub falso apostolorum ediderant nomine, solæ in catalogum sacrarum scripturarum receptæ sint, & auctoritatem habeant diuinæ scripturæ: vel à regula dicũtur canonicæ, quoniam saluberrima atq; certissima credendorum, agendorumq; cum fidei, tum morum contineant præcepta. & quamuis ob easdem rationes etiam B. Pauli epistolę possent dici canonicæ, visum est tamen sanctæ matri Ecclesiæ, quæ nunquam errat, hoc nomen imponere his epistolis, quia à diuersis auctoribus sunt conscriptæ, & ita ab vno eorum peculiare aliquod nomen sortiri nequirent, sed commune eis aliquot erat nomen ponendum, dignum ipsis, & venerabile. tractantur præclara argumenta in epistolis canonicis: à beato Iacobo de fidei fructibus, & hominis Christiani operibus, à B. Petro, principe Apostolorum, de nouo inducendo homine, siue de reformandis in Ecclesia moribus: item in altera epistola de fidei præstantia, & futura omnium rerum vicissitudine. Ioannes tres virtutes theologicas, fidem, spem, & charitatem complectitur: item in secunda de ijs agit, in quibus consistit charitas: in tertia de veris Dei filijs, quales

1. Tim. 1
2. Tim. 5
1. Cor. 4
Rom. 2.
Act. 9.
1 Cor. 13
1. Cor. 15

quales soli sunt, qui bene operantur. ab Iuda de fide cum charitate coniuncta epistola scripta est. quæ argumenta nec tractata sunt spinose, nec ita sunt obscura, vt vos ea, si diligentiam adhiberetis, non facile possetis assequi. Acta Apostolorum continent præclaram, & salutarem historiã. illius historiæ scitote fuisse scriptorem Lucam Euangelistam: qui, vt sanctus scribit Hieronymus, de medico corporum in medicum versus est animarum: cuius libri quoties leguntur in Ecclesijs, toties eius medicina nõ cessat. res gestæ scribuntur à Luca eo in libro non philosophorũ,
Rom. 1. qui euanuerunt in cogitationibus suis, non Græcorũ, aut Romanorum, & qui ambitione omnia metiebantur: non rerumpub. euersiones & regnorum, non victoriæ Cæsaris, & bella ciuilia describuntur: sed actiones Apostolorum. quibus autem nominibus appellati sunt Apostoli, accipite. sal terræ dicti sunt, lux mundi, dispensatores ministeriorum Dei, Christi ministri, testes præordinati passionis, & resurrectionis Christi, credentium magistri, sacerdotũ principes, & totius mundi, beatissimæ lucis angeli. Vtilitates maximas illius libri commemorat B. Chrysostomus: inter quas hanc præcipuam existimat, quod promissa, quę in Euangelio Christus dederat, ea illo in libro præstita, & exhibita narrantur ita, vt veritatem factis relucentem liceat intueri. Plura dicere non est necesse, nomina, & titulos sacrorum librorum explico, ne, acolyti, ignoretis prima elementa sacræ scripturæ, & Ecclesiasticæ disciplinæ: quod in clericis omnibus reprehendendum, in acolyto Veronensi admodum turpe, & minime tolerabile est iudicandum. Apocalypsin Ioannis apostoli, in qua de toto vniuersalis Ecclesiæ statu agit, vt sacrosanctum volumen veneremini. prouidens Deus calamitates, quas passura erat Ecclesia, ab apostolis fundata super petram, Christum: vt minus timerentur, reuelauit Ioanni per angelum, Ioãnes Ecclesiæ. sed non omnes secreta mysteria, quæ eo volumine comprehensa sunt, possunt capere. inde fit, vt non solum caute, sed etiam timide illi etiam, qui in sacris libris diu versati sunt, & multum profecerunt, eum librum in manus audeant sumere. vobis acolytis ista ætate sit satis

Matt. 6. Matt. 5. 1. Cor. 4 Act. 10

non

non ignorare, quid sibi velit hoc nomen Apocalypsis, & quamobrem conscripta fuerit ab Ioanne apostolo, & Euangelista, quo tempore in insulam Pathmum relegatus fuit.

De sacrosanctæ Ecclesiæ doctoribus, & quæ ex eorum scriptis seligenda sint ad informandos in Christiana disciplina Acolytos, Basilio S. Zenone Veronen. Episcopo, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, & alijs compluribus non obscurioris notæ catholicis scriptoribus. Cap. XIX.

VENIO ad doctores Ecclesiæ, ex quorũ scriptis proponam, quæ vestræ ætati vtiliora videantur: efficiam etiam, vt spero, ad studiorum vestrorum vsum, vt ea in vnum, quod acolytorum Veronen. promptuarium vocabimus, redigantur. ex Basilio saltem legite eum libellum, quo illud explanat, Attende tibi. est enim admodum vtilis, & aperit fontes, vnde fere omnia bene viuendi præcepta manant: cuius hæc præcipua sunt capita: Nobiliorẽ partem hominis esse eam, quæ oculis non cernitur, nempe animam, cui in primis attendendum est, ne morbis varijs conficiatur, ne pulchritudinem sibi diuinitus datam contaminet, ne in ea seditiones oriantur, eius morbos esse grauiores, quia non sentiuntur, esse fugiendos, & deplorandos magis, quam morbos corporis, eius pulchritudinem, quandoquidem ad imaginem & similitudinem Dei creata est, omnibus alijs bonis, & vitæ etiam anteponendam: hoc in primis enitendum, vt pace fruatur, voluntas rationi pareat, ratio Deo: sensibus, qui sunt ministri rationis, attendendum, vt oculi non videant vanitatem, sed cœlum, ad quod nati sumus, spectent: auribus vtendum ad disciplinas percipiendas, non ad detractiones, & calumnias alendas: ac demum reliquos sensus vsum afferre ad vitam, vitam autem referri ad gloriam Dei, & ad vsum aliorum. quæ omnes breues sententiæ à sanctissimo illo viro grauiter, & eleganter, multoq; vberius, quam nunc à me commemorentur, explicatæ, vehementer opto, vt in animis vestris imprimantur: vosq; hortor, vt eas sæpe inter vos commemoretis. Hoc idem argumentum beatus

Zeno,

Zeno, qui fuit Veronæ episcopus, explicauit. Ex Chrysostomo legendum certe illud opusculum, quo exponit neminem lædi, nisi à seipso. nihil enim vobis poterit esse vtilius ad agnoscendā prouidentiam Dei, ad ferenda ea omnia, quæ accidunt, æquo animo, ad præcipuas demū virtutes, patientiam, animi magnitudinem, consequendas: nullum præceptum salutarius potest afferri ad quietam vitam ducendam. Illius libelli hi pręcipui sunt loci: Recte sentire de Deo, & recte inter homines agere, esse virtutē hominis, non diuitias, non valetudinem corporis, non famam, non vitam hanc, qua viuimus: & ideo nō esse timendam paupertatem, non esse metuendos morbos, maledictis homines terreri non debere, hanc vitam per se non esse vehementer optandam, diuitijs multos deteriores, valetudine incontinentiores, honoribus intolerabiliores, diuturna vita miseriores factos: Adamum, primum generis humani parentem, à se ipso lęsum, sua ignauia, & non ab alio: inopiam non læsisse apostolos Christi, quia gratia & virtutibus abundabant: mortem non nocuisse Abel, iustissimo homini: solos illos lædi, qui lædunt, Chain, non Abel, Herodiadem, non Ioannem, Diabolum, nō Iob: eos, qui læduntur, illustriores factos, quam si lęsi non fuissent: tunc solum homines lædi, cum amittunt virtutem: meretricem esse humanam vitam, eiusq; sodales pessimos esse varias perturbationes, quibus animus agitatur. qui loci, & multo plures in illo optimo libello tanta copia verborum, tantaq; grauitate sententiarum explicantur à beato Chrysostomo, cui non immerito nomen illud est inditum, quod ex eius ore aureum manabat flumen eloquentiæ, vt ex illo, si diligenter legeritis, maximam vtilitatem percipere possitis hoc tempore. Diui Hieronymi extant epistolæ: inter quas in primis duas habetote in manibus, alteram ad Paulinum de libris canonicis, alteram de honestate clericorum. libellum etiam de scriptoribus ecclesiasticis legendum vobis duxerim. exemplo enim, & memoria sanctissimorum hominum, qui scriptis suis Ecclesiam Dei illustrarunt, adolescentium ingenia excitantur ad labores suscipiendos. Quo loco admonendi estis, vt,

quæ

quæ Aloisius Lippomanus, quem episcopum vidistis, patremq; optimum experti estis, de sanctorum vita, & moribus in multa volumina digessit, studiose vobis inquirēda, ac legenda putetit. quod etiam de episcopis Veronensibus scriptum reperiatur, vobis non est ignorandum: cum præsertim extet libellus, qui minime est editus, quo eorū omnes actiones descriptæ sunt. Multa sunt in libris beati Augustini, ex quibus magnam vtilitatem possetis cōsequi. sed opus confessionum est vestræ ætati aptissimum. vita enim hominis expressa est in eo opere, & perfectæ humilitatis forma: quæ virtus omnibus est necessaria, maxime omnium nobis, qui in sortem Domini vocati sumus. libri quatuor de doctrina Christiana afferunt vsus quamplurimos. Beatus Ambrosius, quo doctore est vsus is, quem nominaui, sanctus Augustinus, scripsit multa egregie, sed opus de officijs ita est vtile, vt illud semper præ manibus habere debeatis, atq; hinc virtutes Christianas, sanctorū hominum exemplis expressas, Ecclesiastico stylo traditas, animaduertere, & mandare memoriæ. proximo anno, vt vestris studijs consulerem, iussi, vt hoc ipsum opus vobis explicaretur ab homine valde erudito, & bono. eius opera vtinam bene collocata sit. atq; ita spero. Opus B. Gregorij, quod inscribitur Moralium, magnos fructus afferre potest. in eo sunt multa facilia, pleraq; etiam, quæ vobis nimis obscura videbuntur. Filij, si grammaticam bene nostis, & in primis artibus estis aliquandiu versati, audete aliquid, legite veterum, quos dixi, sanctissimorum, & doctissimorum hominum vobis proposita monumenta. nolite semper pueri esse. addet animum lectio grauissimorū scriptorum, excitabit vos ad res præclaras cogitandas.
Collectæ sunt ad memoriæ vsum quædam summæ: quibus quasi in quadam tabella sunt redacta ea, quæ ad cognitionem peccatorū, & ad omnes virtutes Christianas spectāt: in quibus quid cauendum sit, quid sequendum, quid laudandum, quid vituperādum, velut in speculo vnusquisq;, vel mediocri ingenio, possit cernere. Hoc in genere scribendi versati sunt multi ingenio, & doctrina præstantes homines. Cardinalis Caietanus, ante ipsum Antoninus

archiepiscopus Florentinus, qui in beatorum numerum est relatus, atque alij multi ferè omnes cum laude versati sunt. horum labores vobis fructuosi esse poterunt. cum autem ætate processeritis, summam maiorem illius, quē modo nominaui, beati Antonini legite: nullum fortasse opus maiore cum fructu legetis, si animum attenderitis, & diligentiam adhibueritis. Nam copiose videntur in ea esse tradita omnia, quæ ad præclarum sacerdotem instituendum pertinent. sunt alij multi libri, atq; ab illis, quos nominaui, doctoribus scripta multa opuscula, quæ vobis potuissem proponere, vt B. Bernardi meditationes, & libellus de gradibus humilitatis, B. Laurentij Iustiniani opusculum inscriptum lignum vitæ, Innocentij III. Pontificis libellus de miseria hominis.

De somno, & pigritia fugienda, atq; in honestis studijs summa cura euigilandum, ac elaborandum. Cap. XX.

SED singula persequi nimis longum esset: neq; facile putauerim, nominare omnes libros, ex quibus fructus à vobis posit percipi. consulite præceptorem vestrum & aliquos ex fratribus meis canonicis, & è sacerdotibus. Sed legite quotidie aliquid, & lucro apponite ea, quæ per vos ipsi sine magistro didiceritis: neminem doctum fieri, qui nihil, nisi in schola, discit, putetis. domi discendum est, dum alij dormiunt: emenda est vigilijs, & laboribus multarum rerum cognitio. id quidem pretium soluendū est, ita enim statuit Dominus, vt artes, & scientiæ nullo alio pretio, quam diligentia, studio, vigilijs, & magnis laboribus pararentur. Harum, & omnium laudabilium rerū perennes inimici sunt, somnus, & voluptas. Nolo ego hoc loco dicere, quam indignum, & quam miserum sit, acolytum somno sepeliri, non vigilare, otio & voluptati deditū esse. Videte, acolyti, miserabile spectaculum. somni filius est torpor, soror ignauia: illum sequuntur, tanquam ancillæ, hebetudo mentis, negligentia, inscitia, & vltima omnium, luctuosa calamitas. tyrannidem exercet voluptas: satellites sunt sensus: pœnitentia, mœstitia sequuntur.

tur. Quamobrem intempestiuum, & immoderatū somnum fugite: nolite vobis ipsis deesse, recordemini illud ex libro sapientiæ vsurpatum à beato Cypriano, Qui abiicit disciplinam, infœlix est. Quæ iucunda sunt, ista ætate suspecta habetote, voluptatem disciplinæ & laudis vestræ inimicam fugite. Virtus in arduo posita est, ad eamque sine labore perueniri non posse, antiquissimus poeta testatur. Hæc pulchra, & fructuosa possessio tempore, & labore acquiritur: ita etiam scientiæ, & artes. Quamobrem, si qui sunt inter vos inertes, & pigri (vereor autē, ne sint multi) ij sciant, inertiæ comitem esse miseriam, paupere inerti nihil esse calamitosius. omnia impedimenta labore superantur: ac nemo est tam tardus, tamq; obtuso ingenio, qui studio aliquid non sit consecutus. Vobis non deest ingenium: si non proficitis, deestis vobismetipsis. Ego cum nihil omiserim earum rerum, quas ad vestrā disciplinam pertinere iudicauerim, inscitiæ & calamitatis vestræ nullam rationem sum redditurus coram Deo. Hic etiam liber erit testis meæ erga vos paternæ voluntatis, & in omni vita vos accusabit, si meis consilijs non parentes eos progressus in studiis, & in moribus non feceritis, qui à vobis expectantur.


Sap. 3.

Finis primi libri.

DE ACOLYTORVM VERONEN. DISCIPLINA

Liber Secundus.

IN HOC AGITVR DE Acolytorum moribus.



De Religione omnium bonorum morum parente, & quid ea sit, quodq; in diuino cultu tota versetur. Cap. I.



DE CLERICORVM disciplina institutum est opus ad vsum vestrum, filij acolyti, vt vestræ scholæ laudem, me Episcopo, tueri possetis. Cum autem omnis disciplina Ecclesiastica constet doctrina, & moribus: superiori libro, omissis obscuris omnibus disputationibus, elementa doctrinæ, quibus imbuendi sitis, explicaui satis breuiter, & satis etiam, vt opinor, perspicue. consequens est, vt de reformandis vestræ scholæ moribus agam: quæ præcipua est disciplinę pars. Hoc autem in primis statuatur, omnium laudabilium morum, omniumq; virtutum matrem esse, religionem: sine qua, si recte consideremus, nihil homine ignobilius, aut miserius esse potest. Quid autem sibi velit hoc religionis nomen, non est necesse explicare pluribus verbis: dictane sit religio à relegendo, quia ea, quæ ad Dei cultum pertinent, animo reuoluenda sunt, aut quia reeligendus sit Deus, quem miserabiliter natura humana amiserat, vt B. Augustino placuit, aut certe, quia sancto religionis vinculo Deo religati omnes sumus. omnino nihil significat, nihil exprimit aliud, quam illum, qui principi, & auctori omnium reru, Deo debetur, & exhibetur cultus: à quo quicquid boni est, quicquid laudari potest, veluti à fonte manat.

Iaco. 1.

nat. Quanto igitur mores non solum vestri, verum etiam omnium, purius manant à Christi Dei verissima religione: tanto magis sunt probandi. Hæc ergo sit prima regula, vt, quo quisq; in vestra schola religionis est amantior, diligentiusq; interiorem, atq; exteriorem cultum exhibet Deo, eo sit, & haberi debeat melior acolytus, eoq; facilior ei ad sacerdotium pateat aditus.

Colendi Deum regulæ, Fides, Spes, Charitas, & de ijs singillatim multa prosequitur. Cap. II.

NOTÆ autem sunt regulæ, quibus dignosci posit, boni sitis, necne. colitur Deus fide, spe, & charitate: fides excitat, spes erigit, charitas iungit, vt scribit B. Augustinus in Soliloquio: à quo etiam in lib. de Doctrina Christiana scripta sunt illa verba, Tria sunt, quibus scientia omnis, & prophetia militat, fides, spes, charitas. De tribus virtutibus, quæ theologicæ dicuntur, non est propositi operis agere, nisi quatenus ad vestram disciplinam posit conferre. Cicero in lib. de Officijs, & post ipsum B. Augustinus ex etymologia declarat, vnde dicta sit fides, nimirum quia fiat, quod dictum est. sic autem sumpta fides significat constantiam, & veritatem in dictis, & in factis: quæ moralis virtus est, & fidelitas appellari alio vocabulo potest. Alio modo accipi solet fides, nempe vt sit assensus, quem præbemus enuncianti, aut promittenti nobis aliquid: in qua significatione cultus exhibetur principi omnium rerum Deo, qui nunquam mentitur, qui est fons omnis veritatis. hæc virtus nos Dei filios efficit, vt scribit Paulus, Omnes filij Dei estis per fidē, quæ est in Christo Iesu: est vita iustorum, quoniam ex ea iustus viuit: & quemadmodum prudentia est dux humanarum virtutū: præscribit enim, quid sit agendum, & nulla est virtus, quæ prudentiæ sale non sit condita: ita in homine Christiano nulla sine fide potest esse virtus, nihilque Deo potest esse gratum. qui enim non credit Deum patrem, & remuneratorem, nec eum diliget vnquam, nec in eo suas spes collocabit. Filij charissimi, firmissime credite, &, quando

Gal 3. Rom. 1. Heb. 2.

se offert occasio, audientibus omnibus proferte has sententias, Deum esse cœli, & terræ, bonarumq; omnium rerum creatorem, & conseruatorem, regem regum, dominum dominantium: qui disponit, ac regit admirabili sapientia vniuersam hanc orbis terræ remp. qui mœstos consolatur, afflictos recreat, superbos deprimit, improbos confundit: largitor omnium munerum, scientiæ, eloquentiæ, & virtutum omnium: benignissimus pater eorum, qui eius paternum imperium non recusant: scelestorum, & ingratorum hominum iustissimus iudex: pater misericordiarum, & Deus totius consolationis: qui filium suum, Dominum nostrum, Iesum Christum misit de cœlo, medicum ad grauissimos, & varios huius sęculi morbos sanandos, magistrum ad euellendos multos errores ex animis hominum, imperatorem ad vincendum Diabolum, & ad triumphandum de morte, lucem ad tenebras expellēdas, Saluatorem demum ad salutem afferendam omnibus, qui in illum credunt, & operibus fidem suam comprobant. Exhibete etiam cultū spe, quæ ita fidei affinis est, vt quasi ex ea nasci videatur. spes est summi boni, Deo miserante, potiundi expectatio: qua non sustentatur, non erigitur, non recreatur, qui fide prius in Deum non est armatus, & sanctis virtutibus præditus, non verbo tantū, sed humilitate, patientia, continentia, benignitate, alijsq; Christianis virtutibus se ostendit Christianum. Collocate in omni vestra vita, acolyti, omnes vestras spes in Deo. nō deerit vobis vllo vnquam tempore clementissimus pater. cuius rei vobis indicium dedit apertissimum, quod vos in sortem, & hæreditatem suam pro sua benignitate suscepit, vobisq, concessit, vt in istā scholam admitteremini, totq; emolumenta vobis darentur, quot satis esse possent ad commode in studijs alendam adolescentiam vestram. Sed nulla virtute magis cultus exhibetur Deo, quā charitate. nam charitas inter omnia dona Dei ita excellit, vt etiam Deus dicta sit: & quemadmodū, vt scribit B. Augustinus, est via Dei ad homines, ita est via hominum ad Deum. per charitatem venit Deus ad homines, venit in homines, factus est homo. per charitatem homines diligunt Deum,

eligunt

eligunt Deum, ad Deum currunt, ad Deum perueniunt. sic etiam familiaris Deo est charitas, vt ipse mansionem habere nolit, vbi charitas non fuerit. si ergo charitatem habebitis, Deum habebitis: quia Deus charitas est. Quã- *1. Ioã. 4.*
obrem, vt dignos vos ministros esse regi Iesu Christo ostendatis, diligite Dominum Deum nostrum, filij charissimi, *Deut. 6.*
toto corde; ne quid illo carius habeatis: tota anima, ne pro illius nomine incommoda, molestias, corporis tormenta, mortemq; ipsam vnquam formidetis: tota mente vt omnis vestra cogitatio, omnis actio, omniaq; vestra studia tendant in hunc finem, vt placeatis Deo, eiusq; aspectu perpetuo fruamini. Quod ad proximum pertinet, tenete hanc breuem regulã: ea cupiatis, & procuretis alijs, quæ vobis optanda ducetis: ea quæ vobis fugienda putaretis, nunquam auctores sitis, vt alijs eueniant. De vero Dei cultu, qui tribus theologicis virtutibus exhibetur, quamplurimi libri conscripti sunt. multa ab optimis, & sanctissimis viris tradita sunt documẽta, quæ omnia omittenda duxi hoc tempore, cum scribam ad vos, & mihi tantum sit propositum, locos indicare, quibus omnipotenti Deo debitum cultum exhibeatis, & pristinam vestræ scholæ disciplinam recuperãtes sic proficiatis in vijs Domini, vt strenui administri in hac Veronensi Ecclesia mecum laboretis, & Deo seruiatis.

De deuotione, quæ ex Theologicis virtutibus ortum habet, quid sit, & quomodo acquiratur. Cap. III.

EX his theologicis virtutibus oritur laudabilis virtus, quæ dicitur deuotio. ab hoc nomine, nescio qua de causa quidam, Latini sermonis amantissimi, abhorreant, quia eo sensu Cicero, & alij latinitatis auctores non sint hoc vsi vocabulo. quam nimiam, ne dicam affectatam, diligentiam, aut superstitionem in verbis fugite. verba, quæ sancti patres, quæ etiam præstantes ingenio, & doctrina viri, qui scholastici appellati sunt, vsurpant ad res dilucide explicandas, vsurpetis, ne nimium Ciceroniani pœnas vos ipsi etiam detis. Deuotio, vt B. Thomas scribit, est

voluntas quædã prompte se tradendi ad omnia, quę pertinent ad Dei famulatum. Vobis autem virtus hæc ita diligenda est, vt nullo alio nomine libentius velitis appellari, quam deuoti. nulla enim virtus vestram adolescẽtiam magis potest commendare: nulla vestræ scholæ magis est necessaria: nulla mihi potest esse acceptior. Eius auctor, & largitor quamquam est Deus, vt est auctor bonarũ omnium rerum: meditatione tamen acquiritur, & augetur. meditatio illustrium, & variorum beneficiorum, quæ clementissimus pater in homines contulit, & confert quotidie, excitare solet amorem in Deum, & mirabilem deuotionem, qualem Dauid sensisse credibile est, cum diceret,
Psal. 72 Mihi autem adhærere Deo bonum est, & ponere in eo spẽ meam. quos versiculos canentes, filij, qua ratione fieri potest, vt mentem, voluntatem, vosmetipsos non subdatis Dei imperio, quicquam velitis, quod ipsi placere non cognoueritis. Considerantes infirmitatem etiam vestrã, ad deuotionem excitabimini: quemadmodum eundem
Ps. 120 Dauidem animaduertimus fecisse, dum dixit, Leuaui oculos meos in montes, vnde veniet auxilium mihi: auxiliũ meum à Domino, qui fecit cœlum, & terram. Hanc salutarem virtutem sequitur lætitia, & ea lętitia, quæ omnibus
Ps. 76. voluptatibus sit facile anteponenda. Memor fui Dei, & delectatus sum, inquit ille idem, diuino numine afflatus. Voluptatem, quæ vulgo percipitur, sequitur pœnitentia, dolor, & plerunq; infamia. Cum deuotione coniuncta est ea tranquillitas animi, qua nulla percipi potest maior: quam nulla pœnitentia sequitur, nulla tristitia.

De vitijs deuotioni aduersantibus, curiositate, sc. ac vanitate. Cap. IIII.

HIc paterne agam vobiscum, & indicabo duas huic virtuti grauissimas aduersarias. Scitis, quamobrẽ in vestra schola desideretur deuotio? quia curiosi estis, quia vani, hoc est, quoniam vobis ipsis non attẽditis. perniciosa est curiositas adolescentibus, inimica prudentiæ, magistra impudentiæ, soror vanitatis, ac demum odij, &
omnium

omnium calamitatum mater. Cauete, filij, ab isto vitio. multa nescire satius est, quam nouisse. quæ ad Dei laudẽ, & ad vestram, aliorumq́; salutem non pertinent, minime inquirenda putetis. Vani sunt, qui nullum habent propositum finem actionum, & verborum suorum. quo nomine, vereor, ne multi è vobis appellandi sint. dicitis.n. & agitis omnia potius, quam ea, quæ ad vos spectant: quo fit, vt longissime à deuotione absitis: non attenditis vobis ipsis, de vestris, aliorumque rebus, non de vobis estis solliciti. Ideo de vestra schola deuotionem esse eiectam, maximo meo cum dolore, atque etiam cum lachrymis possum dicere. virtutem fructuosam, custodem Ecclesiasticę disciplinæ, spiritualis vitæ animam, Dei ministrorum, vt ita dicam, vitam, deuotionem, negligunt filij mei acolyti. Nolite per illum ipsum, sub cuius imperio omnes sumus, Deum, veteris disciplinæ immemores, salutarem virtutẽ negligere. Cogitate vobiscum innumerabilia, & maxima Dei beneficia: ponite vobis ante oculos Christum, Dei Filium, hominem factum: considerate eum puerum in Ecclesia: in medio doctorum audientem illum, & interrogantem eos: sed in primis recordemini eum pannis inuolutum in præsepio: versetur vobis ante oculos eius vita contumelijs, iniurijs, & laboribus plena: cruciatus deinde omnes cogitate, quibus animas vestras cruciatibus liberauit: mortem denique eius, qui mortem, cuius legibus obstricti eramus, destruxit. humanitas Christi, vt inquit D. Dhomas, totiusq; illius vitæ meditatio, est pabulum deuotionis. Christus, Dei Filius, Deus, & homo, ita vixit, vt humilitatis, mansuetudinis, atq; omnium virtutum exempla daret, omnemq́; suam vitam ad nostræ vitæ exemplum instituit. Dicite, Nos quid agimus? quam ingrati sumus? *Ioã. 13.*

De oratione, quæ deuotionis soror, ac nutrix est. *Cap. V.*

DEuotionis soror, aut potius nutrix est oratio: de qua dicendum est paucis verbis. non est enim necesse, complecti omnia, quæ à bonis, & pijs hominibus tradita sunt.

sunt. loci tantum sunt indicandi, e quibus aliquam vos vtilitatem posſitis capere. cum aliquantulum ętate progreſsi eritis, vberius hæc è fontibus doctiſsimorũ, & ſanctiſsimorum hominum haurietis. Hæc vobis nunc deguſtanda propono. quemadmodum diſpoſuit Deus, vt colligatur ex agro fructus, iacto ſemine: ita etiam diſpoſuit, vt nos quædam bona minime conſequi poſſemus, niſi orationibus adhibitis. & ideo B. Gregorius ſcribit, ea, quæ ſancti viri orando efficiunt, ita prædeſtinata eſſe, vt eorum precibus obtineantur. Voluit clemẽtiſsimus pater, Deus, hanc Veronenſem Eccleſiam bonis inſtitutis, & præclaris ſacerdotibus ornare. id tamen orationibus multorum, acolytorum in primis, quibus ſucceſsiſtis, à ſe impetrari voluit. Sunt præclara Chryſoſtomi verba memoriæ commendanda, Conſidera, ò Chriſtiane, quanta tibi eſt conceſſa fœlicitas, quanta collata gratia, orationibus ſermonem habere cum Deo, cum Chriſto miſcere colloquia, optare, quod velis, quod deſideres, poſtulare. Filij acolyti, quicquid petitis à Deo, petite cum fiducia. potens eſt enim Deus vobis tribuere, quod petitis. non accipiunt
Iac. 4. homines, quia male petunt, quia plerunq; petunt ea, quę nunquam conſequi eſſet melius. Quod cum animaduertiſſet Socrates, nihil à Deo petere conſueuerat, niſi vt ſibi bona euenirent. Petite hoc tempore, vt boni acolyti ſitis, vt in hac, quam matrem agnoſcitis, Eccleſia omnes ſeruiant Deo, omnium cultus moderatori rerum omniũ
Mat. 18 ſit acceptus. Sunt verba Domini noſtri, Ieſu Chriſti, Vbi erunt duo, aut tres congregati in nomine meo, ego ſum in medio eorum. Videte, quã fructuoſæ ſint illæ preces, quas omnes funditis ad Deum, & ad B. Virginem, Dei matrem,
Hier. 48 vbi è ſchola diſceditis. Sed & illud Hieremiæ pphetæ ediſcite, & commemorate inter vos ſæpe, Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter. nulla enim pernicioſior negligentia dici, aut excogitari poteſt, quam ea, qua de laudibus, quæ ſummo rerum omnium principi, Deo debentur, quicquam detrahitur. Cœlum, omnia, quæ cęli ambitu continentur, elementa, metalla, ſtirpes, animalia multorum generum verbo ipſo creauit, tuetur ad vſum homi-

hominum. Verbum caro factũ est propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. viuẽs omnium virtutum reliquit exempla, moriens sua morte nobis beatam vitam attulit, & in cœlum parauit aditum, suã sponsam Ecclesiam, communem matrem, pretioso suo sanguine stabiliuit. Vos Ecclesiæ filij, Dei opus negligenter facitis: laudem si non eam, quam debetis, saltẽ quam potestis, pro tantis, & tam innumerabilibus beneficijs non reddetis?

De duobus orandi modis ex D. Basilio. *Cap. V.*

EXTAT pulcherrimus libellus B. Basilij, qui iure optimo magnus est appellatus: quo instituit eos, qui ad vitam aspirant perfectam, ad quam vobis est aspirandum: in cuius fere principio hæc scribit, quæ inferenda iudico huic libello, quoniã valde vobis poterunt prodesse: Orandi, inquit, duo sunt modi, alter, qui in gratijs agẽdis, atq; in diuinis laudibus dicendis, alter, qui in petitionibus est positus. hic affectum, ille modestiam, & humilitatem indicat. Orans itaque, inquit vir sanctissimus, ne statim ad petendum venias, sed ante omnia, depositis omnibus huius sæculi curis, cœlum liber ascende, à laudibus, gratiarumq; actionibus initium sume: nec mente obiter vagaberis, neve res alias agens: non deniq; proprijs tuis cogitationibus, sed è sacris voluminibus verba tantum recensendo, dices quæ sequuntur. tradit, immo potius describit paulo post formam orationis, quam ad Deum esse habendam præcipit. Et ego quibusdam mutatis, & paucis etiam additis, ad sanctissimi hominis, & optimi episcopi imitationem, eandem vobis, filijs meis, ad perfectam vitam, & ad Ecclesiasticam disciplinam aspirantibus, propono. Itaq, dicite, Benedicimus nos acolyti Veronenses tibi regum regi, & domino dominantium, creatori cœli, & terræ, patri misericordiarum, & Deo totius consolationis, qui nobis vitæ spatium ad pœnitentiam tribuis, & sustines nos assidue grauiter peccantes. non dees nobis, pro tua prouidentia: nos quotidie vocas ad vitæ frugem,

timore

timore pœnæ deterres, mercede ac præmijs inuitas, lege naturæ, quod est præscriptum tuum, admones, prophetis & lege scripta instruis, per aduentum Filij tui deducis, & viam ostendis, qua itur ad cœlum. tu enim nos creasti ad imaginem tuam, vt te cognosceremus, amaremus, diuinaq; bonitate tua frueremur. Deinde monet Basilius, vt infirmitas humana consideretur: quod vt faciatis, vos etiam ipse moneo. Itaq; emittite has voce: Nos, Domine, ante maiestatem tuam consistere, te alloqui minime digni sumus. errauimus grauiter, scholam nostram dedecorauimus, veterem disciplinam deseruimus, in multis alijs grauissimis peccatis te offendimus, præsertim cum tantorum beneficiorũ immemores, ingratiq;, non proficimus. Quod si aliqui sunt, & habentur boni acolyti, dicant verbum illud magistri magistrorum omnium, Christi: Serui inutiles sumus. agant gratias quantas maximas possunt bonorum omnium principi, & auctori, Deo, qui eos in hunc vsq; diẽ à multis malis, in quę incidissent, custodiuit.

Luc. 17.

Quæ in oratione petenda, quove affectu. *Cap. VII.*

VBI vero has duas partes orationis, quarum altera in gratiarum actione, altera in vestri accusatione consistit, absolueritis, tunc demum petendum est, quod cupitis. neq; corporis robur, neq; diuitias, neq; inania splendoris insignia petatis, filij. sunt enim eiusmodi, vt interdum, immo etiam sæpe calamitatem afferant male vtentibus: præterquam quod de minimis rebus esse sollicitũ eum, qui ad immortalitatem est natus, & ad beatam vitã consequendam, superuacaneum, & stultum videtur esse. Nam benignissimus, & clemẽtissimus pater, Deus, si quẽ animo ita angusto, & ita abiecto intuetur, vt parua, nihilq; sibi ad salutem profutura petat, auersatur. regnum cœleste, in quo sunt omnia bona, eius iussu petendum est. ad hoc vt aditus vobis pateat, dirigite preces vestras ad regẽ regum: quem qui videt, cum eo omnia bona videt: quo qui fruitur, nihil cupit. regnum, à quo abest omnis calamitas, omnis perturbatio, quærite, optate, & orationibus

vestris petite. & quoniam amplissimum est regnum, orate, vt non solum vos, sed omnes etiam, qui Christũ Deum agnoscunt, & profitentur, ad illud perueniant, & mihi, qui paterno amore vos diligo, & omnibus Ecclesiæ nostræ ordinibus non præcludatur locus in amplissimo, & fœlicissimo regno: & nolite rem tantam, tantiq; momenti, negligenter agere: ne in Hieremiæ maledictum incidatis, & ne frustra petatis. estne aliquis vestrum, qui veniens ad me, & petens aut librum, aut aliquid, quod ad subleuandam vestram paupertatem, aut ad iuuanda vestra studia pertineat, qui, dum petiturus est, aliud cogitans, quasi attonitus, oculos in aliam partem vertat, motuq; & gestu corporis incomposito cogitare videatur omnia potius, quam ea ipsa, pro quibus consequendis me adiuit, & alloqui cœpit? o acolyti, nemo vestrum est ita impudens, nemo tam peruerso iudicio, qui mecum ita agat: & ab episcoporum, regum, summorum pontificum,, cœli, & terræ Dominò, ac bonorum auctore, Deo, non res minimas, quas à me petere consueuistis, sed maximas negligenter petitis, negligentiaq; vestra vos indignos efficitis, qui exaudiamini. Quamobrem si à bonorum omnium fonte, atq; omnium virtutum largitore non impetratis, quod cupitis, id accidit, aut quia ea non petitis, quæ vobis vtilia futura sint, aut quia minime animæ vestræ salutaria, aut quia dedita cum attentione, & humilitate non petitis.

Exemplar omnium orationum esse Dominicam orationem. Cap. VIII.

EXEMPLAR orationum omnium, & præclarissima forma est illa, quam Christus, Dominus noster, tradidit apostolis suis, & Dominica oratio appellatur. Luctuosum est dicere, quam negligenter eam vos proferatis. quale est illud exordium, quantos, & quam mirabiles fructus affert, si diligenter consideretur, Pater noster, qui es in cœlis; quem appellantem Deum patrem, non pudeat, illum non venerari, sanctissimis eius præceptis non parere, voluptatibus, & praua consuetudine malorum hominum,

num, naturæ suæ oblitum, seruire diabolo? si ego sum pater, vbi est honor meus? si Dominus, vbi timor vester? si diuinitus emissas has voces audiretis, acolyti, dum præcipiti quadam festinatione, mente & oculis distractis, profertis prima illa verba, Pater noster, qui fieri posset, vt iustissimam hanc reprehensionem sine maxima animi molestia, & sine tremore possetis audire? Hoc sit igitur præceptum, vt in oratione Dominica recitanda tum domi, tum in choro, spatium adhibeatis, ponderetis singula verba, tamq; clara voce illa pronuncietis, ac si â multis essent audienda. Multæ sunt breues explicationes in orationem Dominicam, quæ reperiuntur in catechismis: de quibus alio loco diximus.

De Beata Virgine inuocanda, & Sanctis alijs. *Cap. IX.*

EST inuocãda Beata Virgo, mater D.N. Iesu Christi: cuius diei natali Ecclesia nostra, vt scitis, dicata est. â regina cœli, â matre misericordiæ, virgine, & matre Domini nostri, Iesu Christi, cuius sanguine redẽptus est vniuersus orbis, speranda, & expectãda sunt omnia subsidia. Recitate memoriter singulis diebus illas orationes, quæ, sanctæ matris Ecclesiæ præscripto, decretæ sunt eidem B. Virgini. & quando singulis diebus non exigitur â vobis, vt commodius in studijs versemini, vt in Ecclesia canonicas horas recitetis, nemo sit vestrum, qui sibi ipsi desit, & beatæ Mariæ virgini laudes non persoluat. Adiuuatur incredibiliter Ecclesia, & adiuuantur singuli sanctorum orationibus. quod cum animaduerteret beatus Augustinus, in libris meditationum suarum scripsit hæc verba, Orate Dominum, orate pijssimi, orate omnia agmina sanctorũ, & vniuersi cœtus beatorum, vt vestris precibus, meritisq; adiuti, salua naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis, quietis continuæ, pacis, & nunquam finiendæ securitatis. Inuocat vir sanctus sanctorum auxilium, vt salua naue, & integris mercibus, perducatur in portum. Nauis, filij, est anima vestra: quæ varijs fluctibus agitatur, spe, timore, insana lætitia, atque dolore

dolore perturbatur. ij sunt fluctus, quibus vtinam multi non mergerentur. integris mercibus, ingenio, memoria, iudicio, artium, & scientiarū multiplici cognitione, quæ nisi fide, spe, & charitate informentur, mergunt homines in profundum, orat vt perducatur in portum. has merces proiiciunt, qui præmia virtutum quærunt, & expectant in hac vita, & interdum non longe à portu naufragium, quod miserabile est, faciunt. Vos in portum dirigite ocu los ad æternam, & beatam vitam omnes vestras cogitationes referendas putetis. Gregorius Nazianzenus ad sanctissimum hominem, vita hac mortali iam functum, sermonem suum conuertens in quadam oratione, in qua lau dandas sibi sanctissimi viri actiones, & vitam suscepit, Tu, inquit, obiter è cœlo nos respice, & datam mihi infirmitatem vel orationibus remoue tuis, vel adiuua, vt tolerāter possim ferre, vt hinc demum discedentem in æterna tabernacula recipias. Vos, qui infirmi animo estis, ad illius imitationem proferte hæc verba: Respice, pater Zeno, pa ter optime, cuius sanctum nomen vniuersus Veronensis populus veneratur, tuere hanc Ecclesiam, adiuua scholā nostram: non simus degeneres acolyti: te referant omnes episcopi, qui deinceps in hac tua olim Ecclesia successuri sunt: hic maxime, quem habemus: tuis precibus Veronensis Ecclesia consequatur, vt in ea nihil cogitetur, quod ad gloriam Dei non pertineat. nos, proles tua, feramus aliquos fructus: veniamus tandem, vbi tu es, vbi est requies, & pax perpetua.

De exteriori cultu ad inferiorem conformando, vbi de humilitate multa. Cap. X.

ET quoniam corde, ore, & opere cultum exhiberi Deo sapientes homines scripserunt: date operam, vt illæ genu flexiones, ad quas satis commode estis eruditi, deuotioni respondeant, & cauete, ne, quo tempore genua flectitis, adorantes sacratissimum Christi corpus, vagetur mens, nihil minus cogitetis, quam illud, quod facitis. hic exterior cultus est necessarius, & debitus: sed parum est

fructuo-

fructuosus ijs, à quibus adhibetur, si cum interiore cultu, & cum humilitate non sit coniunctus. De qua humilitate dicendum est tertio loco. est enim virtus hæc propria aco lytorum: quæ nunc desideratur in vestra schola: sine qua non est, cur pristinam disciplinam, & existimationem acolytorum, qui ante vos fuerunt, quispiam speret recuperare. Nolui initio huius secundi libri ponere vobis ante ocu los distinctionem omnium virtutum, & varias earum descriptiones, quæ in libris Philosophorum, & Theologorũ reperiuntur, in medium afferre. nimis longum fuisset, hęc omnia persequi. poteritis commendare memoriæ, virtutem esse habitum rationi consentaneum, aut potius perfectionem animæ, bonum vsum liberi arbitrij, regulã amo ris, bonam qualitatem mentis: qua recte viuitur, & nemo male vtitur: omnes virtutes esse Dei pretiosissima dona: dici interdum proprie à theologis virtutes infusas, quod sine vlla industria hominibus infundantur, quibus eas gra tis ad vsum vniuersitatis pro sua misericordia cõcedit Dominus Deus noster: alias, quamquam ipse inserit semina, acquiri tempore, & consuetudine à nobis vult, vt sunt om nes virtutes tum quę in contẽplatione, tum quæ in actione consistunt. Hæc autem vberius alio loco, cum aliquantulum in studijs progressi eritis. Ad humilitatem redeamus, præstantissimam virtutem: cuius nomẽ philosophi, & doctores huius sęculi fortasse non agnouerunt. quamuis Origenes humilitatem putet esse eandem, quam philosophi moderationem nominant: quandoquidem hæc reprimat motum spei in magna tendentis. Attendite, in quibus sit posita humilitas: vt propriam voluntatem non sequamini, actiones omnes vestras, & cogitationes consilio seniorum, & meliorum moderemini, defixis in terrã oculis ambuletis, minime clamosa voce, vt inuerecundi adolescentes solent, loquamini, non facile prorumpatis in risum, vt stulti consueuerunt, vobis nihil tribuatis, omnibus vos honoribus indignos putetis, cõfiteamini libenter peccata vestra, & demum illa B. Bernardi verba, quibus expli cata est humilitas, obseruetis, spernatis mundum, spernatis vos ipsos, spernatis humana omnia, spernatis demum

sperni,

sperni, modo seruiatis Deo. Filij carissimi, canitis in psalmo, Respexit in oratione humilium, & in lib. Iudith legitur, cum ad Deum illa sancta vidua sermonem suum conuerteret, Humilium, & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. quæ omnia vos hortantur ad humilitatē amandam. ad cuius amorem vt vehementius excitemini, scitote, nulla ratione facilius homines ad maximos honores ascendere, quam humilitate. quod pluribus exemplis possem confirmare. Hieremias, qui naturæ impedimenta obiiciebat, super regna constitutus est: Dauid, natu minimus, ac humilis, in regem est vnctus. vt paucis dicam, verissimum est illud Iob, Qui humiliatus fuerit, erit in gloria. Quamobrem, vt Demosthenes ei, à quo fuit interrogatus, quid primum in oratore, quid secundum, quid tertium, respondisse dicitur, pronunciationem: ita cum quidam esset percunctatus beatum Augustinum, quid primū in Christiano, humilitatem fertur respondisse, quid secundum, quid tertium, humilitatem iterum dixisse. & profecto ita se res habet: quo quis est humilior, eo est sapiētior: quia magis proficit in Christiana pietate, atq; etiam haberi potest fœlicior, quatenus quis in hac vita appellari potest fœlix. pauperem superbum auersatur dominus: clericum, acolytum multo magis. Quamobrem qui humilitatis indicia non dabunt, degeneres acolyti appellentur: qui autem maioribus obtemperantes, æqualibus se non præferunt, seq; inferiores æqualibus sentiunt, & dicunt, ij humiles habeantur.

Ps. 101. Iud. 9. Hier. 1. 1. Re. 16. Iob 22. Eccl. 25

Omnes virtutes omnibus conuenire, esse tamen quasdam singulis ætatibus proprias; omnes autem virtutes esse christiana prudentia condiendas, & cum veritate coniungendas, deq; mendacio fugiendo. Cap. XI.

SVNT quædam virtutes senum, vt sapientes homines tradiderunt, prudentia, & grauitas: quædam ætate consistentium, vt fortitudo, & constantia: quædam adolescentium, vt modestia, & continentia: quædā sunt virtutes, quæ regiæ appellantur, magnificentia, & altitudo

 animi:

animi: quædam priuatorum, vt moderatio in rebus prosperis, & aduersis, & sobrietas. in omni tamen genere hominum omnes virtutes laudantur. illorum, qui in sortem Domini vocati sunt, propriæ virtutes; perpetua quædam diligentia, quam adhibent erga omnes, vt proficiant, contemptus rerum vitæ huius: quibus rebus sacerdotes boni à malis sacerdotibus dignoscuntur. Sunt etiam proprij mores acolytorum, propriæ virtutes, quæ in vobis requiruntur: sine quibus, vel pudeat veste illa, qua singuli acolyti induuntur, indui. eæ autem sunt, deuotio, oratio, humilitas, obedientia, modestia. Ad tractationem de obedientia peruenimus: quā quidem breuiter absoluemus. has tamen virtutes acolytorum dicimus, vt omnes tres theologicas, quibus coli Deum ostendimus, & quæ necessariæ sunt omnibus ad vitam æternam aspirantibus, in primis necessarias putemus, & reliquas virtutes prudentiæ sale condiendas statuamus. Verum prudentia cum sit recta ratio rerum agendarum, est omnium actionum regula. prudentiam cum dico, humanam prudentiam non intelligo, quæ prudentia carnis dicta est, i. hominis spiritu Dei carentis, domini voluntati aduersa calliditas: quam sanctißimi viri maxime detestati sunt. prudentiam interpretor rectam rationem rerum agendarum: quā vir Christianus dirigit ad seruanda Dei præcepta, & ad assequendum illum finem, ad quem se natū esse intelligit, hoc est, ad vitam æternam. Ita etiam ab illis, quas nominaui, virtutibus, seiungi non potest virtus, Christiano homine digna, sine qua nulla deuotio in animis vestris esse posset, nullasq; Deo gratas preces possetis fundere. hæc autem est veritas, ad quam amandam, & profitendam qui non assuescit ista vestra ætate, & in vestra schola, ignobilis acolytus, & indignus sacerdos euadat necesse est. Mendaces sunt valde odiosi, eorumq; consuetudo, & perniciosa, fugitur: præterquam quod Imperator noster Iesus Christus, sub cu-
Ioan. 14 ius militia militare nunc incipitis, iis regalibus titulis cognosci voluit, Ego sum via, veritas, & vita, Qui mendaciū amat, assuescitq; mentiri, deficit ab initio pugnæ miserabiliter, iam non est vt appellari posit seruus Christi, cum

in

in homine nihil dici posſit nobilius. nec video, cur ſors Domini dici debeat, qui Dominum non agnoſcit, eumq; nō ſequitur. mendacem odit Dominus, vt ſcriptum eſt. pater mendacij eſt Diabolus: qui quotidie ſtruit inſidias omnibus vobis, in primis, vt, relicta ſorte Domini, deſertis inſignibus Ieſu Chriſti, Filij Dei, mendacio, inuidia inter vos, & aliis peccatis veluti transfugæ in ea caſtra, vbi militat incontinentia, adulatio, ignauia, & maxime omnium turpis voluptas, vos transferatis. quod ne faciatis, recordemini verborum illorum, quibus ſancta mater Eccleſia, Spiritu ſancto edocta, alloquitur ſacerdotes omnes, clericos, & populum etiam Chriſtianum: Sobrij eſtote, & vigilate: quia aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret: cui reſiſtite, fortes in fide: hoc eſt, in fide Chriſti, quæ operibus eſt comprobanda, quæ dictis, & factis præſtatur.

Prou. 1. Ioan. 8. 1. Pe. 5. Iaco. 2.

De Obedientia. Cap. XII.

IAM vero de obedientia, ſine qua veſtra ſchola non conſiſteret, dicendum eſt. quo loco, acolyti, à iuſta reprehenſione videtur exordiendum eſſe. cum enim ab epiſcopis, qui ante me fuerunt, viris doctrina, & ſanctitate inſignibus, breues quædam regulæ ſint vobis traditæ, illas nō obſeruatis. cum illis non obeditis, non obeditis Deo, iuſtiſsimamq; eius iram in vos cōcitatis. Hiero. Triuiſanus, vir multiplici doctrina, & eloquētia Eccleſiaſtica inſignis, qui breui nimium temporis ſpatio huic Eccleſiæ Epiſcopus præfuit, eas regulas, veſtræ ſcholæ admodum vtiles, redigi iuſſerat: quæ quia ſeruatæ nō ſunt, opinio de veſtra ſchola imminuta eſt. Paucis vobis explico, quid ſit obedientia, in quibus conſiſtat, quos fructus afferat: vt cognoſcatis, quanto bono careant illi, qui non obediunt. obedientia nihil eſt aliud, quàm virtus, qua maioribus obtemperatis ex Dei præſcripto: cuius tanta eſt præſtantia, vt B. Gregor. in libris moralium ſcripſerit hæc verba: Obedientia cunctas virtutes menti inſerit, & inſertas cuſtodit: cuius tanta eſt vis, vt nemo ſciat iuſte, & moderate impe-

rare, qui obedire non didicerit. Bonum magna ex parte consistit in ordine: quem sapientes viri appellarunt animã rerum, & mūdi pulchritudinem. cumq; natura comparatum sit, vt varij sint ordines, superiores alij, alij inferiores: qui non parent illis, quibus parendum est, iniuste agūt, & naturæ ordinem peruertunt. Quāobrem quid agitis, acolyti, cum magistris vestris vos recte monentibus, cum canonicis, cum mihi non obeditis, eam assiduitatem, quæ vobis esset necessaria, non adhibetis, in schola, atq; etiam in choro veterem vestram disciplinam negligitis? sunt verba B. Gregorij, Si obedierimus præpositis nostris, obediet Dominus orationibus nostris. & in prouerb. Salomonis legimus, Vir obediens loquetur victorias: hoc est, vincet seipsum, & domesticos inimicos, nihil Dei opt. max. beneficio non assequetur. considerate eos, qui ante vos acolyti fuerunt, interrogate de eorum moribus. præceptorum, & maiorum suorum monitis cum obtēperauerint, audietis nunc in magna existimatione esse, eis traditam curam animarum: eos vero, qui obedire detrectauerunt, ignobilissimos esse sacerdotes, ne dicam miseros. Quare filij carissimi, magnam laudem ista ætate ponite in obedientia: studete, vt nullus ex magistris vestris vel minima in re vos inobedientiæ possit arguere: obedite sine vlla repugnantia & alacriter. serenitas enim in vultu, vt inquit B. Bernardus, & dulcedo in sermone, multum colorant obedientiã. si scribenda est epistola, aut facienda carmina, si explicanda sunt, quæ audieritis, si memoriter recitanda, si canendi sunt versiculi in choro, libenter omnia facite, & habetote in ore pulcherrima illa verba Tobiæ, eaque vsurpetis, cum magistri aliquid iubent, Omnia, quæ mihi præcepistis, faciam.

Prou. 21

Tob. 5.

De modestia. Cap. XIII.

VErum cū B. Thomas, qui merito sanctorū hominū doctissimus est dictus, scripserit, humilitatē esse speciē modestię: nō recte fecisse videor, qui ad humilitatē sim prius vos cohortatus, q̃ ad modestiã. sed, vt antea dixi, cū scri-

bam ad vos, & vtilitatis tantum vestræ mihi habendam rationem iudicaui, & ea mihi prius remedia afferenda duxi, quibus magis egeretis. sumite illã Ciceronis descriptionem, Modestia est, per quam pudor honestatis, puram & stabilem comparat auctoritatem. sine hac virtute nemo speret se ad aliquam frugem posse peruenire. pudor est custos modestiæ, & adolescentiæ. Quamobrem nihil agatis immodeste. turpem voluptatem fugite. est enim inimica virtutis, & glorię, comes infamiæ, paupertatis, & calamitatis. non dicam plura. est maxima pars modestiæ, decorũ: quod positum est in verbis, in risu, in motu corporis, & in situ membrorum. Cum autem sermo sit imago animæ, obscœnitas est indicium deprauatæ naturæ. hæc fuerunt verba Senecæ, in quibus decorum, quod ad sermonẽ pertinet, consistit, A verbis turpibus abstine te, sermones vtiles potius, quam facetos, ama, rectos magis, quam obse- Eccl. 21
cundantes: miscebis interdum iocos, sed temperatos. Risus immoderatus cum clamore est testis immodestiæ: & dedecorat vestram ætatem: à quo diligenter cauete. nihil enim est, quamobrem clericus studijs deditus, pauper, qui iam incipit discere, quot periculis, quotq; calamitatibus sit exposita hæc vita, debeat ridere. sapienter dicitur, risum abundare in ore stultorum. stultum enim est, cum lugendum potius omnibus esset, risum effundere. Christum, Dominum nostrum, virtutum, & actionum bonarũ exemplar nobis propositum, luxisse interdum humanam calamitatem, nulla de causa vnquam risisse legimus. quod huc spectat, vt omnes intelligant, illi in primis, qui Ecclesiasticæ disciplinæ se tradiderunt, quam stulti sint, & ridiculi qui immoderato risu delectantur. In motu etiã corporis sita est aliqua modestiæ pars, vt in incessu. neque sit Eccl. 19
nimia tarditas, neq; nimia velocitas. nam tarditas affectata difficiles quosdam, aut potius rusticos mores, velocitas leuitatem, & inconstantiam indicat. sed nulla in re magis pulcherrima virtus cernitur, quam in oculis: qui valde custodiendi sunt, ne videant vanitatem. Oculus meus deprędatus est animam meam, inquit Propheta. Quamobrẽ Ps. 118
in choro oculos tollite. est.n. qui vos aspicit, qui vos regit,

atq; qui vos beatos vnico aspectu potest efficere. reliquis in locis, non est, quamobrem erigere oculos debeatis. In custodia aliorum sensuum modestia posita est: quæ apparet etiam in vestitu. Qua de re B. Hieronymus, quid sequendum sit, præscripsit illis verbis, Nec affectatæ sordes, nec exquisitæ deliciæ laudem pariunt. Nam quidam aut maxima negligentia, aut, vt nomen sanctitatis sibi comparent, ita in vestitu omnem cultum negligunt, vt sordidis vestibus vtantur. qui non sunt laudandi. Vos eadem veste induimini colore cœruleo, & quasi cœlesti, vt ea ratione in cœlum prospiciatis, omniaq; vestra studia in cęlum dirigenda intelligatis. Terentianus ille senex gaudebat, filium suum sic vitam instituisse, vt ęqualibus nunquam se prę ferret, ita viueret, vt amicos sibi pararet, & laudem inueniret. Ita etiam nihil auribus meis potest esse iucũdius, quam cum audio inter vos nullas esse simultates, neminem se alijs anteponere. Ad modestiæ famam comparandam maxime pertinet, si, quod præclarum in vobis esse alij putauerint, id vos non magni faciatis, imo potius id celeris. odiosa est omnibus ostentatio. adolescentium autem, & acolytorum non odiosa solum, verumetiam perniciosa: parit enim superbiam, inuidiam, & multas alias huiusmodi animi pestes, quas multa etiam cuiusq; generis sequuntur incommoda.

De obseruantia maioribus exhibenda, vbi quid honor sit, quid laus, reuerentia, gloria explicatur, & quinam sint præcipue honorandi. Cap. XIIII.

HVic virtuti coniunctissima est obseruantia: qua hominibus aliqua dignitate præstantibus honor tribuitur. quibus aliqua in quouis genere credita administratio est, ij loco Dei sunt. quamobrem honor illis iure optimo debetur. hoc loco vobis explico, quid sit honor, quid laus, quid reuerentia, quid gloria: vt, qui potissimũ vobis obseruandi sint, cognoscatis. Honor, est testificatio virtutum. quamobrem qui honorem cupiunt, testimonia virtutum suarum quærunt, eaque quo sunt illustriora, eis

magis

magis delectantur. Testimonium autem recte factorum apud Deum nullum est necessarium: quoniam ipse scrutator est cordium. & ideo conscientię testimonio contenti viri boni, nihil aliud cupiunt, quod ad eorum actiones commendandas, aut illustrandas pertineat. Hæc testificatio, quæ verbis, aut exterioribus signis exprimitur, etsi à viris bonis minime illa quidem desideratur, ac fugitur potius: virtuti tamen debetur. & nihilo minore in laude est is, qui tribuit, quam is, cui illa tribuitur. Hoc loco considerанda sunt illa verba, Soli Deo honor & gloria. quasi vero nullus honore sit dignus. quæ spectant ad hominis infirmitatem ostendendam, atq; comprobandam verissimam illam sententiam: nihil bonum, nihil laudabile, nihil honore dignum excogitari, aut inueniri posse, quod à fonte bonorum, Deo, non pendeat, & summæ, ac infinitæ illius bonitatis non sit particeps. Soli igitur Deo honor, & gloria: quoniam solus Deus est, in quo nihil reprehendi vnquam potuerit. Honor tribuendus est hominibus eo vel maior, vel minor, quo magis, minusve diuinorum munerum participes sunt. Quare cum aliquē honoratis, aut quia in excelso gradu sit constitutus, aut quia scientiis, & virtutibus sit ornatus, Deum munerum distributorem, & virtutum largitorem honorari etiam vobis persuadete. 1.Tim.1

Quid reuerentia sit, quoniam huius nominis fit mētio, fortasse non erit inutile cognoscere. est quiddam ab honore diuersum: nempe principium, aut causa efficiēs, qua quis mouetur ad aliquem honorandum. dici etiā potest quasi finis. hanc ob rem viri boni honorātur, vt eos etiā omnes reuereantur. Quare docti homines scriptum reliquerūt, honorem esse exhibitionem reuerētiæ in signum virtutis: quod differt à laude: quoniam verba tantum laus, reuerentia signa etiam exteriora adhibet. quo fit vt laus honore contineatur, & honorari quis possit sine laudatione. Gloriam verò esse effectum honoris, & laudis, & claram cum laude notitiam, scribit B. Ambrosius: & idem alij multi doctissimi, & sapientissimi homines senserunt. Hoc loco scitote, filij, laudem, honorem, gloriam esse testimonia recte factorum, & tacitas cohortationes ad honestatē, ad

tibus, sed quam solus homo potest percipere. quærenda enim à vobis est ex studiis literarum, ex scriptis, ex consue tudine bonorum hominum. Chorus ita amandus est, vt sine animi iucunditate eum nunquam ingrediamini. Musica, à sancta matre Ecclesia ad dirigendos animos in cęlũ adhibita, vos etiam recreabit. Sed nihil est, quod maiorẽ voluptatem, aut, vt rectius dicam, veram lætitiam animis afferre posit, quam frequens vsus sacramentorum. ad quę salutaria animarum medicamenta suscipienda, filij carissimi, vos vehementer hortor. nihil enim ista ætate vobis poterit esse vtilius. sanant multis & varijs morbis languen tes animos, iacentes erigunt, & quasi corroborant. Singulis mensibus iam instituimus, vt vos acolyti sumeretis è manibus meis sacratiss. corpus Domini nostri, Iesu Christi, nobilissimum, & maxime salutare Sacramentum. qua in re diligenter sum solitus animaduertere, quis vestrum in re sibi tam necessaria, tamq; salutari deest. non esse cogendos vos ad salutarem animarum vestrarum cibum capiendum, nisi quater in anno, in præcipuis solẽnitatibus, non sine multis rationibus iudicauimus. scitote tamen, nullam rem me in vobis diligentius obseruare, quam hãc, si aliquis vestrum deest sibi ipsi, & propriæ saluti. Nolite, filij, negligere tantum bonum, quod vobis offertur: sacramentis reficite animas vestras: in huius vite periculis, & calamitatibus opem ferte vobismetipsis. nullum est gaudium, quod cum deuotæ animæ gaudio posit conferri. Prosperitate bonorum sacerdotum lætandum est, atque etiam progressu vestrorum æqualium. hæc enim est voluptas Christiano homine digna, & acolyto: Vt paucis absoluam, hæc compendiaria sit acolytorum, & clericorum Veronensium disciplina, vt gaudeant iis tantũ rebus, quæ ad gloriam Dei, & ornamentum huius Ecclesiæ, ad salutẽ propriã, & omnium pertineant: doleant tantum rebus tur pibus, inscitia, & peccatis propriis, & aliorũ. Paupertas solet afferre quãplurima cõmoda: mater virtutũ, soror industrię, & altrix laudabilium multarum rerum dicta est. itaq; moleste ferenda non est. Illi honores sunt magni faciendi qui à virtute proficiscuntur, & qui honestam, & Christianam vitam, veluti vmbra corpus, consequantur.

De recto timore, ac spe bona, item de insania cauenda, ac omni studio fugienda. Cap. XVI.

TRaduntur etiam regulæ à doctis, & sapientibus viris, ne timeantur, quæ timenda non sunt, vt res omnes externæ. timendus est Deus ea ratione, qua filij parentes solent: à quo timore oritur sapientia, & reliquæ virtutes. ita vos, acolyti, recordemini pauca illa verba, quæ sunt
Eccl. 12 scripta in fine libelli, qui inscribitur Ecclesiastes Salomonis, de quibus iam dixi, Deum time, & mandata eius serua: hoc est enim omnis homo. quod nihil sibi vult aliud, quam omnem virtutem, omnemq; laudem hominis sitam esse in timendo Deo, & in seruandis diuinis pręceptis. Quod autem attinet ad spem, in qua animi affectione mul ti decipiuntur, & non minima pars disciplinæ cõstituitur, sic instituite vos, vt nulla in re vestras spes collocetis, præterquam in Deo, qui neminem vnquã fefellit, & qui tuetur omnes, qui in eius bonitate confidunt. Incertæ, & fallaces sunt hominum cogitationes: stulte, & insipiẽter spes suas quis ponit in homine, qui plerunque non potest prodesse, non vult, &, si aliquo temporis spatio voluit, à propo sito discedit. Hæreant in animis vestris illa verba, quę cõmemoraui, Beatus vir, cuius nomen Domini est spes eius, & qui non respexit in vanitates, & insanias falsas. beatum dicebat Dauid, qui non respexisset in insanias falsas, atten dite, quæ sint insaniæ falsæ. nulla potest esse maior insania, nullus excogitari grauior error, quam in rebus humanis constituere fœlicitatem, amare diuitias, quibus abundãt plerunq; insolentiores, voluptates sequi, quas pœnitẽtia, & infamia consequuntur, insignia honoris, quæ sine molestia quæri non possunt, in quibus difficile est versari sine vanitate, aut sine maxima animi solicitudine, vehementer optare. insania falsa est, qua multi laborant, sic viuentes, vt de morte nunquam cogitent, hunc mundum vere sophi stam, & perniciosum suasorem, diligentes, & quasi hic nõ peregrinaremur à Domino, omnia studia in his rebus ponentes, quæ ad commode traducendam breuem hanc vitam pertinent. Insanire, filij, est admirari, quæ admiratio-

ne

ne digna non sunt, est optare, quæ fugienda essent, est nó cogitare de immortalitate, & de beata vita, ad quam omnes nati sumus.

Compendium rectæ disciplinæ, amare quod amandum, est, & de expellenda inuidentia. Cap. XVII.

ALIVD disciplinæ compendium docti, & sancti homines tradiderunt, cum dixerint, nihil aliud esse recte viuere, quam amare, quod amandum est. quo loco longa oratione possem differere, virtutes omnes ab amoris regula proficisci: qua in regula qui errat, in omni vita erret, in omnibus actionibus decipiatur necesse est. hoc præcipuum sit, vt omnis amor in amore Dei contineatur, & nihil quicquam à vobis ametur, nisi propter Deum, & vt diuinis præceptis obtemperetis. amandus est ille cœli, & terræ opifex, Deus, naturæ conditor, creator animarũ nostrarum, communis benignissimus omniũ pater: amandi sunt omnes homines, quandoquidem in illis eius imago cernitur. qua in re tamen ordo est adhibendus, vt, secundum Deum, salutem propriam, deinde aliorum, postremo ea, quæ ad vos pertinent, ametis, ea tamen moderatione adhibita, vt nunquam corpus vestrum, vestrã existimationem ita ametis, vt de amore, quo Deus ab omnibus amandus est, aliquid minuatur, aut alij damnum, vel minimum, sentiant. Diligendi sunt parentes. ij enim maximis, & variis laboribus, & impendiis suis vos vsque ad puerilem ætatem perduxere: & ita sunt diligendi, vt, quod ad vitæ commoda, ad cibum, & vestitum, & quæ sunt huiusmodi, spectat, illorum commoda vestris anteponatis, curetis melioribus vestibus indui eos, & delicatioribus cibis vesci, quam vos, qui ob ætatem incommoda multo facilius potestis ferre. Sed præcipuo amore diligenda, ac vestris studiis, & assiduitate fouenda est hæc quæ vos alit, atq; instituit, Ecclesia. hanc nobilem, & ornatam esse velitis. si quando erratur in choro, aut aliquid accidat, ex quo huius Ecclesiæ dignitas aliqua ex parte minuatur, assuescatis dolere: & cum à vobis vel minimus error proficiscitur,

Aliud optimæ disciplinæ compendium, vt viuentes moriamur. Cap. XVIII.

ALIVD compendiũ rectæ disciplinę tradiderunt philosophi, atq; etiam theologi, quod paucis his verbis expresserunt: Viuens moriare. vt quis viuens moriatur, nihil sibi vult aliud, quàm, sedatis omnibus animi perturbationibus, mori huic mundo, hoc est, nihil quærere, nihil optare, quod ad vitam æternam consequendam non referatur, neminem lædere, nec etiam seipsum. quo loco scitote, illud esse verissimum, neminem lædi nisi à semetipso: omnium errorum, omnium peccatorum, & calamitatum originem esse, quod, vt ab initio dixi, quis se ipse ignorat, quod se ipse non obseruat, quod stulte nimium se ipse lædit: læditinquam seipsum cogitatione, verbo, & opere.

Epilogus dictorum, perfectiq́; Acolyti descriptio, ac parænesis demum ad seminarij institutionem cum dignitate seruandam. Cap. XIX.

SED iam institutum opus absoluamus, & describamus, aut potius ponamus ante oculos formam perfecti acolyti, ad quam vos omnia vestra studia vestramq; vitã conformetis. Eum igitur acolytum dignum Veronensi Ecclesia appellemus, qui se ipse, quantum naturæ humanæ imbecillitas, & immatura adhuc ætas patitur, cognoscit, didicit, primo tacere, atq; audire, grammaticæ, musicæ, humanioribus omnibus literis deditus, doctos, & bonos senes obseruans, in dies melior, & doctior effici studeat, omnia sua studia non ad lucrum captandum, aut inanẽ gloriam consequendam, sed ad Dei gloriã refert, veræ, & incontaminatæ religionis amantissimus, fide, spe, & charitate Deo debitum exhibens cultum, deuotis orationibus assuetus, humilis, obediens, modestus, & pulcherrima virtute, obseruantia erga maiores, in primis ornatus, sacris cęremoniis bene institutus, minime vanus, minime cursitans, per verbum, minime otiosus, sed cogitans, & agens ea semper, quæ ad laudem Dei, & existimationem scholæ suæ pertinent. Eandem hanc descriptionem pro-

pono

pono etiam fratribus vestris, & filiis meis, qui seminariû huius diœcesis dicuntur: de quibus magna est concitata opinio. à vobis egregia expectantur, qui appellamini acolyti, qui probis, & doctis sacerdotibus, qui vobis noti sunt, successistis, quibus nihil deest, quod ad mores recte informandos, & ad doctrinam Ecclesiasticam percipiendã pertinere videatur. maiora expectantur ab illis, qui vno in loco viuunt, quibusq; Ecclesiæ sumptibus omnia suppeditantur. Contendite tamen inter vos, filij (communi hac voce omnes appello, qui ad seruiendum huic Ecclesię educamini) contendite inter vos sancta, & salutari æmulatione. sic cogitent acolyti. eritne Veronæ aliqua schola, quæ nostræ sit præferenda? prodibunt alij, huius Ecclesiæ filij, e quibus hæc Ecclesia maiores fructus percipiat, quam à nobis? quanquam nos vinci in re tam sancta fructuosum, & vtile futurum est huic Ecclesiæ, & nobis haud molestû: minime tamen ferendum est: ne à veterum acolytorum laude degeneremus. Vos sacrosancti Tridentini concolij, cuius auctoritate in vnum coacti estis, & Pij V. sanctissimi Pontificis, quem ad pristinam Dei Ecclesiæ dignitatem restituendam diuinitus missum videmus: vos inquam, sacrosancti concilij, & Pontificis maximi, à quo vestri seminarij institutio comprobata est, gratissima proles, cogitate vobiscum semper, quam magnum beneficium in vos contulerit benignissimus pater, Deus, quanta de vobis sit commota opinio. Iam ausi estis scribere ad nobilissimarum ciuitatum seminaria, & vicissim literas accepistis: quibus, fieri non potest, quin incredibiliter excitati sitis ad omnes labores perferendos. iam exercitationibus vestris interfuerût pręstantes multi viri. locum istum vestrû sua præsentia honestauerunt Cardinales amplissimi, Borromæus, & Commendonus: apud quos cû de vobis magna sit côcitata expectatio, nolite, filij, fallere spê grauissimorû virorû: facite, vt studio, diligêtia, & sanctis morib. omniû de vobis opinioni respondeatis: sitis vere seminariû probitatis, innocentiæ, & virtutum omnium, quarû ope Deo, & huic Ecclesiæ seruiatis.

FINIS.

INDEX RERVM OMNIVM MEMORABILIVM, QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

FINIS.

DE RECTA PHILOSOPHANDI RATIONE

LIBRI DVO,

QVOS AVGVSTINVS VALERIVS EPISCOPVS VERONAE SCRIPSIT, QVO TEMPORE, VENETIIS PHILOSOPHIAM PROFITEBATVR.

ITEM PRAEFATIONES AB EODEM, eodem tempore habitæ partim publicè, partim priuatim, Quibus accessere eiusdem opuscula quatuor Eruditionis plena, & lectu dignisſima.






VERONAE,

Apud Sebastianum, & Ioannem fratres à Donnis. 1577.

M. ANTONIO PRIOLO CONSTANTINI F. PATRITIO VENETO

AVGVSTINVS NANVS Georgij F. S. D.





X multis, uarijsq; calamitatibus, quæ totum ferè orbem terrarum, inprimisq; Rempub. Venetam, cuius singulari Dei beneficio & nos filij sumus, miseris hisce temporibus afflixerunt; nulla profectò animum meum uehementius perturbauit, quàm dira ista pestilentiæ lues; quæ aliquot iam annos, ita permittente rerum omnium auctore, atque optimo parente Deo, tum in ipsius Reipub. membra, nimirum in omnes propè ciuitates, quæ Veneto nomini parent: tum etiam in caput, hoc est, in ipsam Venetiarum Vrbem crudelissimè desæuijt, & debacchata est. Licet enim & assidua bella cum immanissimo Turcarum Tyranno gesta, & expugnationes, direptionesq; oppidorum, & Regni nobilissimi amissio, & miserabile illud Naualis aliorum omnium longè pulcherrimi, ac munitissimi incendium, & multornm annorum fa-

mes, siccitates, eluuiones, exundationesq; maris, ac flumi-num, & crebri terræmotus, propter grauissima tam publica, quàm priuata incommoda, ac detrimenta, maximum mihi dolorem afferrent: habebam tamen in patria, ubi me consolarer. Aderat tutum studiorum perfugium; propinquorum, & eruditorum hominum familiaritates; dulcissima cum æqualibus colloquia; suauissima cum reliquis amicis, & tecum in primis consuetudo; in qua una potissimum conquiescebam. His præsidijs cùm hæc sæuissima fera me spoliasset; nec mæstissimam patriæ iam florẽtis, ac formosissimæ faciem possem intueri; discessi; Veronamq; ad uetus hospitium uiri mihi amicissimi, studiorumq; meorum quodammodo parentis Petri Francisci Zini Canonici Veronensis me contuli. Hic me paternis consilijs ad pristina studia reuocauit. Hic, quod mihi propemodum salutem attulit, aditum ad intimam Augustini Valerij Veronæ Episcopi familiaritatem patefecit. Quamuis enim & Georgio patri primum, quo cùm multos annos coniunctissime uixit, fuerantq; collegæ tertij præconsultorum ordinis: Et postea Paulo fratri Clarissimo Diui Marci Procuratori, ueluti cohæredi paternæ amicitiæ, multæ cum hoc optimo, & doctissimo Antistite causæ necessitudinis intercessissent; & ipse singulari quadam humanitate tum ad omnes homines, tum ad ciues suos potissimum complectendos sit propensissimus:

me ta-

me tamen pudor quidam penè subrusticus ab humanissimi uiri familiaritate deterrebat. Sed quo primum tempore per hominem illi gratissimum, ut dixi, conciliata mihi eius amicitia est, mirum dictu, quot mihi ab eius sapientia, & eximia pietate, singularique doctrina, uera repente solatia extiterint; quot gaudia, quot animi, studiorumque diuitiæ se se obtulerint. Vir enim sanctissimus sic animum meum deiectum, atque ægrum tractauit; ut à desperatione ad certam spem, à tristitia ad tranquillitatem, à terrenis ad cœlestia statim erexerit. Deum enim esse optimum patrem, & medicum peritissimum; Ab eo solo nos uerè diligi; eum solum nosse tum ægritudines nostras, & uulnera: tum curationes, & medicamenta. Vana esse hominum studia; quæ non ad illum agnoscendum amandumque perducerent. Hanc ego nactus occasionem, modestè, ac uerecundè rogare Præsulem cæpi, ut de literarum studijs, deque ipsa philosophia, rectaque philosophandi ratione disserere minimè grauaretur. Tum ille, ut est humanissimus, quamuis literis, & negotijs grauioribus districtus, philosophiæ studia iam pridem intermisisset; tamen tam eleganter, & scitè de illis, & tunc, & postea sæpè disputauit, ut nihil unquam maiore cum gaudio, utilitateque perceperim. Etenim, ut memoria præditus est singulari, uarias non modo antiquorum, sed etiam recentium philosophandi rationes explicauit. Multa ipse de Hermolao Barba-

ro, de

ro, de Hieronymo Donato, de Gaspare Contareno Cardinale, de Laurentio Bragadeno, de Sebastiano Fuscareno, de Petro Francisco Contareno, de Dominico Maureceno equite, de Ioanne Francisco Canale disseruit; nominauitque saepè Danielem Barbarum à summo Pontifice Aquileiae Patriarcham delectum; de Nauageriis suis consanguineis interdum mentionem facit, & commemorauit Laurentium Priolum, qui Venetorum Princeps postea creatus est, cuius haereditaria laus ad te etiam nobilissime Iuuenis, pertinet; eos etiam, qui in praesentia uiuunt, amantissimè recenset, ut Philippum Mocenicum Nicosiensem Archiepiscopum, Clarissimum uirum Nicolaum Pontium Doctorem, equitem, & sancti Marci Procuratorem, Iacobum Fuscarenũ Doctorem, Franciscum Venerium, & alios multos, quos sigillatim enumerare nimis longum, ac difficile esset. de his uiris cum inter coenandum, ut fit, incidit sermo, solet dicere, eorum quosdam paucis esse philosophatos, ut Neoptolemus ille Pacuuianus, de quo Cicero in Tusculanis, idq; praestasse uariis Reipub. negociis, aut fortasse etiam priuatis, impeditos: alios totos se tradidisse philosophiae, ut Barbarum, Donatum, Contarenos, Fuscarenos, quorum aliquos sapientiam cum eloquentia coniungere studuisse, linguarumque cognitionem cum uaria, multiplicíq; scientia; alios disputationibus magis fuisse addictos, et in huiusmodi scri-

di scriptoribus magnum studium posuisse, omnes tamen, in suo quenque philosophandi genere, magnam esse laudem consecutos. Platonica cum Aristotelicis coniunxisse dicit; Petrum Franciscum Contarenum Venetiarum Patriarcham, & Dominicum Maurecenum equitem, quos summis in cœlum laudibus tollit, in primisque Contarenum, à quo multa fatetur se didicisse. Quinetiam me tanquam hæredem paterni amoris agnoscens Episcopus, cùm Venetorum ingenijs maximè faueat, in familiaribus sermonibus monet, illos, quos supra nominaui, habuisse suos hæredes, suos successores, et etiam habituros. cum autem interrogassem, qui fuerint hæredes tantorum philosophorum è nostris, & qui futuri sint: commemorabat Iacobum Surianum, qui prudentissimo consilio ueluti in portum in huius uitæ peregrinatione se receperat. facit etiam mentionem patris mei, & amicorum suorum, qui uiuunt, quorum admirabile ab adolescentia colendæ philosophiæ studium asserit extitisse. Quæ cùm ita sint, nobis quidem optandum est, ut Barbari, Donati, Contareni, Nauagerij, Fuscareni, atque huius etiam non minus eruditione, quàm pietate insignis Episcopi imitatores aliqui existant, quod non despero futurum, cùm ad Aloysium Pisaurum, qui nunc philosophiam docet; & ad æquales nostros animum conuerto, philosophiæ amantissimos, quorum etiam extant pulchri libri, & nobilissimæ ab illis editæ di-

tæ disputationes. Itaque nobis magnopere laborandum est, & totis uiribus enitendum, ne Veneti degeneres habeamur, atque existimationem in literis, quam maiores nostri nomini Veneto pepererunt, nos etiam tueamur. Multum, aut paucis saltem philosophandum nobili cuiq; Veneto est omnino, quod cum idem Episcopus mihi sæpè dixerit, etiam pro sua singulari erga me beneuolentia, scripta, & commentaria, atque aurea quædam òpuscula, quæ dum philosophiam iussu Senatus interpretaretur, confecerat, mihi legenda tradidit. Quæ quidem ego tanquam magnos thesauros admirans, noli, inquam, quæso, pater, patriam, & Ciues tuos, tot, tantisque bonis, quæ tibi non propter te solum, sed propter alios etiam elargitus est Deus, priuare diutius. Noli talenta defraudare, quæ tibi, ut Sancto Fœnore multiplicarentur, tradita commissaque sunt. Tunc ille recusare, quòd non essent eiusmodi, ut promenda uiderentur. Ego contra niti, & suppliciter deprecari. Quid multa? precibus uix tandem exoratus ea mihi largitus est. Quo sanè munere maiori exilui gaudio, quàm si Crœsi opes essem consecutus. Hoc igitur omnino mihi persuadeo, diuino factum esse consilio, ut huc me, paulisper relicta patria, & amicis, ac te, Marce Antoni, quem ego propter eximias uirtutes, & mores suauissimos, studiorumque coniunctionem, non minus, quàm me ipsum diligo, contulerim. Et quoniam amicorum

commu-


communia sunt omnia, hos thesauros uolui tibi, & per te cæteris amicis nostris, ac studiosis omnibus impertiri. In his, & rectam philosophandi rationem inuenies: & qui mores in Veneto Ciue requirantur: & quibus artibus adolescens Venetus excellere debeat; perfecti etiam senatoris formam depinxerat, & Panegyricum Isocratico more scripserat in laudem Reipub. matris nostræ, ac suæ. Sed obtinere non potui ut ederentur; quamuis plurimis uerbis id ab ipso impetrare contenderim. Vtriusque tamen libelli exemplar mittam ad te manuscriptum, eius etiam permissu. Habuerat etiam præfationes quasdam moratas ualde, & philosophico quodam spiritu plenas, quibus adolescentes Venetos, auditores suos ad philosophiam amplectendam, & ad amandas omnes uirtutes impellere nitebatur. quas etiam impetraui, ut liceret edere. Mouebuntur profectò, ut spero, aliqui eiusdem patriæ Ciues sapientis huius Episcopi hortationibus. me certè plurimum esse commotum fateor, & libenter fateor. Sic autem hæc aurea leges opuscula, ut putes, nos & simul esse, & auctorem ipsorum mira tum pietate, tum humanitate, atque eruditione insignem, quando tibi præsenti talem, tantumque uirum uidere non licet, quod equidem maximè uellem, meque planè beatum, si hic esses, existimarem, de rebus grauissimis, & ualde necessarijs, & cùm omnibus hominibus, tum præcipuè ciuibus nostris, & iuuentuti

Venetæ potissimum, utilibus, disputantem audire. Ipse hæc opuscula colligens, atque edens nullam laudem quæro, meritò reprehendi certè non possum, tibi sanè meam hanc diligentiam gratam futuram pro certo habeo, & alijs philosophiæ amatoribus, gratum etiam me facturum cognoscebam Bernardo Marcello, Petro Quirino, quæstoribus, in quibus profectò est præclarum ingenium uehemens studium bonarum literarum, & ardor ad ueram gloriam incredibilis. Vale.

Veronæ viij. Cal. Iulij. M. D. LXXVII.

DE RECTA PHILOSOPHANDI RATIONE, LIBRI DVO,

QVOS AVGVSTINVS VALERIVS *Episcopus Veronæ scripsit, quo tempore Venetiis Philosophiam profitebatur.*



Liber Primus.



VAESTIO de recta philosophaudi ratione, ut est utilis, & hac tempestate necessaria; ita nec facilè, nec paucis uerbis explicari potest. Vtilem esse, & necessariam; cognoscimus quæstionem, pulcherrimas Philosophiæ descriptiones in memoriam nobis reuocantes. Reginam artium, & scientiarum, matrem benedictorum, & rectè factorum, uitiorum expultricem, magistram morum, nutricem uirtutum, alumnam libertatis, Dei similitudinem appellatam legimus philosophiam. Hac ætate (quod sine maximo dolore dici non potest) contentiosam, magistram impudentiæ, & superbiæ, &

comitem impietatis, philosophiam nonnulli appellant. An non est utile, uel potius necessarium, illis præsertim, qui ad res præclaras nati sunt, hoc discrimen agnoscere? An non debet cognosci, quæ facultas commoditates humano generi afferat tot, & tantas? An denique non debet uindicari ab illis calumnijs, quibus acutorum, & ambitiosorum hominum culpa oppressa est Philosophia? Sed (ut dixi) non facilè explicari potest hæc quæstio. Nam existimant nonnulli, christianis omnino non esse philosophandum, & philosophiam esse morbum, uel potius uenenum, quo mortalium animi plerumque intereunt. Alij philosophandum putant, sed paucis, præcepta tantum de uita, & moribus, memoriæ mandanda, reliqua omnia, quæ in Philosophia tractantur, ut incerta, & periculosa, omittenda. Contra non defuerunt homines, nec desunt, qui sine philosophia Theologiam ueram sapientiam percipi non posse, affirment: quæ uarietas sententiarum in re magni momenti persuadet difficilè admodum esse, de recta philosophandi ratione statuere. Auget difficultatem, quòd, qui in hoc consentiunt, ut Philosophiam christianis ualde esse amplectendam existiment, dissentiunt tamen in ratione philosophandi. Nonnulli dubitationibus, & punctis quibusdam uniuersam Philosophiam tractant, acutissimè disputare, sapientiam putãtes. Alij lenocinijs quibusdam uerborum profitentes sapientiam se

cum

cum eloquentia coniungere, tempus terere dicunt, sibi solis philosophi nomen uendicant. Et mirum est, in quot hæc duo philosophantium genera sectas deducantur. Ex his, qui cum scientia eloquentiam coniungere profitentur, Platonem admirantur nonnulli, diuinum hominem dicunt, quòd de Prouidentia Dei, de Immortalitate animorum propius quàm cæteri omnes Philosophi ad Christianam pietatem accedat. Eundem Platonem alij appellant aereum, eiusque dialogos contemnunt. Aristotelem magistrum humani generis, & naturæ miraculum, multis iam seculis, ob admirabilem ordinem, & multiplicem doctrinam, principem ingenij, & doctrinæ quàmplurimi existimauerunt. Fuerunt tamen, qui eum ingrati animi, & ambitiosi uitio accusantes, odio habuerint, & ueluti doctorem impietatis, quippe qui de prouidentia, de Animo, de Mundi æternitate impiè statuerit, accusauerint. Quem cùm innumerabiles homines summa admiratione prosequantur, & ex eius scriptis sibi omnem doctrinam petendam proposuerint, miris modis in hoc uariant; alijs alios explicatores tanquam duces sequentes. Placent ita quibusdam germanis Peripateticis Alexander Aphrodisæus, & Themistius, ut reliquos contemnant omnes. Simplicium ut uerbosum, & plerunque ineptè acumen ingenij ostentantem, Ioannem Philoponum uerò ut Grammaticum, & puerilem irri-

deant,

deant, quos eò magis contemnendos putant quoniam Peripateticis miscent Platonica, & aliquandò ueteres philosophos à calumnijs Aristotelis defendunt. Multi sunt qui acumine illo Simplicij, & multiplici illa rerum cognitione, qua eius libri referti sunt, delectantur. Item amãt non pauci perspicuam, & eruditam Philoponi explicandi rationem. Quid? contempta uniuersa schola Græcorum, nonne multos annos ferè totus orbis terrarum obstupuit in uno Auerroe, quem excellẽti ingenio præditũ fuisse, multa tamen, imò ferè omnia à græcis sumpsisse constat? Cuius ratio philosophandi cùm multis annis præclarissima haberetur, deinde noua quædã ratio exorta est, quam non minus consilium, & industria hominum, quàm tempora pepererunt. Nam cùm Græca, & latina lingua, ob barbarorum irruptionem iacerent, & præclara nascerentur ingenia, quibus insita erant semina cognitionis; philosophari cæperunt multi, nouo quodam modo, propositis de quacunque re disputationibus, quo in philosophandi genere tantum, tamque uehemens studium à multis præclarissimis ingenijs adhibitum est: tot, & tam longæ de maximis, & minimis rebus, de utilibus, & inutilibus sunt tractatæ disputationes, ut proximam ætatem ingenij acumine, & studio philosophandi cum uetustate conferri posse planè intelligamus, sed inter principes etiam illius philosophiæ, dissensiones magnæ extiterunt.

Sanctissimi uiri Thomæ Aquinatis in hac philosophan di ratione facilè principis, cuius ingenium, & doctrina satis laudari non potest, libros non probauit Scotus, non probant Scoti admiratores. Acumen, quo ipsi maximè excellunt, in doctissimo homine desiderant. Contrà nimiam illam Scoti disputandi subtilitatem multi repreben dunt. Sic philosophiam, hoc est, amorem, & indagationem sapientiæ, cum Mundo ipso ortam, & hominum animis diuinitus insitam, cùm multis annis, etsi hoc nomine non appellabatur, à priscis illis patribus culta fuisset, nomen in Græcia à Pythagora accepisse, deindè mutationibus temporum, Ambitione, & Auaritia hominum iactatam, mutasse sæpe faciem legimus. Nunc etiam aliquorum Ambitione eadem ita peruersis moribus, contentione, fastu, Arrogantia deformata est, ut modestos plerosq; uiros pudeat appellari philosophos, quandoquidem hac tempestate contentiosos, sordidos, morosos, & impios eo nomine uulgus appellat. Verùm iã ad id, quod nobis propositum est, accedamus. Mihi quidem philosophari semper honestum, & iucundum est uisum. Hoc autem tempore uidetur honestissimum, et iucundissimum, quandoquidem iussu patriæ ciues meos excito ad eam disciplinam, qua, seipsos cognoscant, Auaritiam, Ambitionem, luxum, domesticos Rerum publicarum inimicos fugiant, & ad libertatem, cuius alumna philosophia est,

tuendam erudiantur. Sed ut philosophiæ lex iubet, rationibus agamus, & ostendamus primum philosophandum esse omnibus, in primis Christianis. Deinde philosophandum nō esse paucis, si suppetat otiũ, si officium non negligatur. Postremò, qua ratione, & quibus ducibus philosophandum sit, differemus: An sit homini philosophandum, cognoscemus, si, quid sit philosophari, & quid sit hominis natura, explicauerimus. Pulcherrimum hunc Mundum, admirabili ordine constitutum, Terram floribus uarijs uestitam, uarios fructus ad uitam, & ad uoluptatem hominum ferentem, mare, pisces multorum generum alens, Aerem, in quo innumerabilia inueniuntur uolucrum genera, demum, lunam, Solem, et innumerabiles stellas, ab ortu Mundi traxisse in admirationem animos hominum, credibile est. Admiratio illa amorem sapientiæ necessariò peperit; amor indagationem, indagatio scientiam, sciẽtia cognitionem suiipsius; cognitio suiipsius timorem Dei, qui ueræ sapientiæ initium est. Quarè concludi facilè potest, philosophiam insitam esse diuinitus hominibus, ut seipsos agnoscant, & Deum, eiusque admirabilia opera intuentes, & timere, & amare incipiant, quibus initijs ad perfectam sapientiam, quam ipse tradidit, perueniant, & ad immortalitatem sibi aditum parent. Verissimam esse hanc Philosophiæ originem, omnes philosophi animaduerterunt; progressionem autem ipsius,

& usum,

& usum, ad quem indiderit omnium animis Deus amorem sapientiæ, non omnes cognouerunt; & quia id non cognouerunnt, in grauissimos errores inciderunt. Amari quæ admiratione digna putantur; amorem sequi studium; studium scientiam, nemo negauit. Sed qua ratione scientia cognitionem suiipsius; cognitio suipsius timorem Dei pariat, ne illi quidem, qui doctissimi uiri sunt habiti, cognonerunt: quin potius rerum admirabilium causas, magna cum animi solicitudine quærentes, deindè eas se inuenisse putantes, comitibus, Ambitione, & Superbia, sensus, illos quidem non semper fidos duces sequentes, à recta philosophandi uia declinauerunt, seipsos ignorare didicerunt, sententias admodum absurdas, ita permittente Deo, ut eorum Ambitionis, & Insaniæ pœnas darent, protulerunt. Hinc de mundi æternitate, de Animo, & de Prouidentia, exitiales, et longè à uera philosophia abhorrentes extiterunt sententiæ ab Ambitionis hominibus traditæ, & defensæ. Quamobrem cùm homo natus sit (ut omnes scribunt) ad agendum & contemplandum, & magnus eius oculis expositus sit Mundus, ueluti amplissimus liber, in quo sapientiam, & clementiam Dei possit agnoscere, et in ipsius amorem excitari; non uideo, cur studio, & diligentia niti non debeamus, ut rerum, quæ in Mundo cōtinentur, formas, earumq; causas et proprietates, tum usu, tum è scriptis aliorum assequamur; quod nihil

est aliud quàm philosophari. An non debemus illud studium amare, quo, turpissimas fugere possumus uoluptates; honestè & iucundè uiuere, res externas non curare, discere elementum illud bonarum omnium rerum timorem Dei, & demum maximos usus capere, ad ueram sapientiam Theologiam percipiendam. Iis, quibus uerissima de Christo Deo historia incognita fuit, nihil nobilius, nihil dignius homine uisum est quàm philosophari, & fortasse nunquàm minus miserabiles erant, quàm dum philosophabantur. Nobis autem Christianis etsi ob summam ergà nos benignitatem, concessa diuina scientia est, in qua multò uberius tractata sunt omnia, quæ ad rectam cognitionem, & ad benè uiuendum pertinent; philosophia tamen utiliter data est, ut ea oblectemus nosmetipsos; animos nostros cognitionis auidos pascamus, & demũ apud omnes gentes habeamus unde ex multarum rerum causis, proprietatibus, & effectis, potentiam, sapientiam, & bonitatem Dei prædicemus. Sed ut prosit Philosophia, immò potius ne noceat nobis, in primis Christianis, quædam ueluti præcepta obseruanda sunt. Primum Arrogantia absit; inanis gloriæ causa nemo philosophetur; incognita pro cognitis non affirmemus; quæ concluduntur probabiliter, necessariò concludi non existimemus, non pudeat nos fateri nescire, quod nescimus; & demum Dei potentiam, eadem mensura, qua hominis potentiam non au-

deamus metiri. Quas regulas cùm obseruasset Socrates, multis mortalibus profuit, minus errauit quàm omnes, qui unquam philosophati sunt; & ut scripserunt Plato, & Xenophon, de patris, & principis Dei cura, de animorum immortalitate, de uirtutibus, & uitiis; demum de contemnenda morte, & remittendis iniurijs, ea docuit, quæ cum Christiana pietate consentire nos summa cum uoluptate obseruamus. Siquis autem Ambitione, Auaritia, altercandi studio, ad legendos philosophos se conferat, iuret in alicuius uerba, nullis rebus assentiatur, nisi quæ sensibus comprobari possint, acriter absurdam quamuis sententiam non posse defendere, turpe existimet, illi philosophari puto periculosum admodum, ne dicam exitiale. Accidit.n. ut quo studio modesti homines meliores fiunt, & magnos usus & uoluptatem capiunt, ipse deterior, & ad maximas, perpetuasque calamitates, incredibili cum animi solicitudine, sibi aditũ faciat Hinc horribiles illæ opiniones uel potius portenta, quæ Diagoras, Protagoras Democritus, Leucippus, Epicurus posteris reliquerunt. Hinc peripateticorum dogma de mundo, ab omnibus, qui Aristotelem coluerunt; comprobatum. Hinc miserabilis Alexandri & Auerrois sententia de Anima; qui etsi dissentiunt inter se; in impietate tamen consentiunt. Sed me hoc in loco, ad alias rei propositæ partes explicandas properantem, non indoctorum

quorundam hominum, amor erga philosophos, præsertim peripateticos retardat. Qui cum Christianam pietatem maximè colant, philosophorum tamen, Aristotelis præsertim, omnibus in quæstionibus causam suscipiunt. Verum esse (inquiunt) in philosophia illud quod conatur probare Aristoteles, Mundum esse æternum. Item animum aut esse mortalem, aut unum. Esse etiam uerissima ea quæ in sacris libris scripta sunt à Mose de mundi origine; & multis in locis de Animorum immortalitate. Quasi uero, enuntiationes, in quibus sit contradictio, ambæ possint esse ueræ, & quod falsum est, uerum dici possit. Concessis principijs, necessariò dicunt concludere Aristotelem. Quid si errasset in principijs constituendis uir ille? Quid si summam Dei potentiam omnino non agnouisset (ut certè non agnouit?) Eum, qui summam Dei potentiam non agnouit, iudicabimus nos, potuisse de rebus maximis statuere? Non audemus dicere hominem de rebus obscurissimis & maximis tractantē, errare potuisse? Cur nō audemus? cur tantoperè admiramur acutissimum ingenium hominis? cur fallimus nosmetipsos, tribuentes homini quod est proprium Dei, perfectam rerum scientiam? Mundum esse æternum probabilibus rationibus probat Aristoteles, quæ tamen refelli à doctissimis & sanctissimis hominibus consueuerunt. Quod de mundi æternitate dixi, idem de prouidentia, & de Animo di-

mo dicendum iudico, de quibus multa contrà peripateticos afferri possunt, nō minus fortaßè probabilia, sumpta à Platone, à Xenophonte, et ab alijs doctis hominibus, tum philosophis, tùm maximè Theologis. Itaque præter alias, philosophātibus præcipua hæc lex Venetis adolescentibus præscribatur, ut à philosophis, uera, et præclara multa, falsa & absurda nonnulla scripta fuisse non negent, nullius sententias omni ex parte defendendas suscipiant. Quicquid sacræ Theologiæ repugnare, aut aduersari aliqua ex parte uidetur; id falsum dicant; & rationibus quæ deesse non possunt, nitantur ostendere. Sed afferuntur adhuc argumenta nonnulla, quibus philosophandum non esse, Christianis præsertim, probari posse uideatur. Cur. n. (inquiunt, optimi quidam uiri) inuentis frugibus, glande adhuc uescimur? An quicquam potest esse uberius perfecta, quæ sacris libris continetur, rerum omnium sapientia? Philosophiam de moribus amamus, an quisquam fuit, qui pulchriora, & salutaria magis præcepta, quàm Salomon tradiderit? Pulcherrimarum rerum indagatione delectamur, & iure optimo; an quicquam potest esse iucundius, indagatione ipsius Dei, ad quem si qua ratione, & quibus gradibus peruenire posimus, disci mus cognoscere, quæ scientia est tanta, quæ sit cum hac conferenda? Grauitate sententiarum, & copia uerborum si delectamur, quæ tanta maiestas, quæ tanta dicendi uis

unquàm fuit, ut cum eorum qui admirabilia Dei consilia, & Christi filij res gestas scripserunt; & cum beatorum Pauli, Petri, & Iacobi scriptis posit comparari? Quas uerissimas sententias cùm in ore semper habeant nonnulli optimi uiri; amandam Theologiam; reliqua studia dicunt esse contemnenda, sed imprimis philosophiam, quam solicitudinem animi esse affirmant, & aliquandò matrem contentionis, & superbiæ. Platonem, platonicosque omnes, ut aereos, Stoicos ut authores horribilis cuiusdam fati, Epicureos ut magistros incontinentiæ, Peripateticos demum omnes, ut doctores impietatis, monent fugiendos, sacros tantùm libros legendos; parendum Paulò diuino homini monenti, ut caueamus ne ab inani philosophia decipiamur. Quibus rationibus, meo quidem iudicio, non concludunt, omnino philosophandum non esse; sed potius comprobant regulas illas, quas paulò ante tradimus, philosophandum esse cautè & modestè, ad illum præcipuè usum, ut omnia quæ à philosophia acceperimus, Theologiæ tanquàm matri & reginæ scientiarum, omnia dedicemus. Quod quidē fecisse illos, qui in summo honore apud Christianos omnes sunt. Origenem, Basilium, Theodoretum, Cyprianum, Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Iustinum martyrem, Thomam Aquinatem, & multos alios, quos philosophos præstantissimos deindè summos Theologos fuisse, ex eorum libris cognoscimus.

Quod

Quod cum ita ſit, concedi petimus ab optimis uiris, illis regulis, quas dixi, adhibitis, imitantes ſanctiſsimos homines, nobis ut liceat philoſophari, præſertim cùm hæc diſciplina afferat multos uſus illis artibus, ſine quibus homo commodè uiuere non poſsit. Corporum omniū generum, plantarum in primis, & animalium multiplex cognitio, quàm eſt neceſſaria arti medicæ? Sine honeſtarum, utilium, iucundarum rerum, ſine animi, & affectionum quæ in eo ſunt, cognitione, Ciuitatum principijs, legibus, cauſis mutationum ignoratis, quæ omnia à philoſophia petuntur, quid poteſt eſſe magis puerile, quàm ſtudium Rhetoricæ? Numerandi, & metiendi artes tam neceſſarias ad communem ciuilis uitæ ſocietatem, quibus acceptas referimus niſi philoſophis? Sed de commoditatibus maximis quas affert philoſophia, & ſcripſi alio loco, & dicere ſæpe ſum ſolitus, ad excitandos ad eius ſtudium Auditores meos. Neque tamen ita me perditè amare philoſophiam, uelim quiſpiam exiſtimet, ut non intelligam eius ſtudium, multas ob cauſas, neceſſarium humano generi, eſſe ignobiliſsimum ſi cum Theologiæ ſtudio conferatur. Sacræ Theologiæ Deus eſt auctor, ſapientia ipſa, bonitas ipſa, potentia ipſa, quam ſapientiam ueram eſſe, teſtes ſunt Angeli, & innumerabilis ſanctorum hominum, qui eam morte comprobauerunt, numerus. Nunquam dubitat auctor ille, nihil celat, explicat omnia, diſcipulos illius

ſcientiæ

scientiæ non simulatos, sed ueros alit, primùm iucundissima spe deindè donat immortalitate, & beatitudine perpetua; philosophiæ magistri fuerunt homines, usi sunt testimonio sensuum, quibus de rebus maximis quanta fides sit adhibenda, sapientes homines iudicent. Quamobrem cautio semper est in hac scientia necessaria, timendum est semper, ne argutijs hominum, qui etiam gloriæ cupidissimi fuisse dicuntur, decipiamur; laborandum est semper, disputandum est semper, quod cùm multos annos fecerint homines, accidit aliquandò ut cum minima nonnullarum rerum cognitione, magnam impudentiam & arrogantiam coniungant; quæ cùm uerissima sint; etsi admonemur his rationibus cautè philosophandum esse, à philosophia tamen omnino non deterremur. Nam (ut paucis rem totam absoluam) & optimis hominibus philosophiæ reprehensoribus respondeam. Si Aristotelis, nec philosophi ullius sententiam admittere contra ea quæ in sacris libris tradita sunt, in animum nostrum induxerimus, ut inducere debuimus, non uideo cur non sit utile philosophari, hoc est, quæ sint principia, causæ, elementa, proprietates rerum naturaliũ, quid motus, quot eius species, quid locus, quid tempus, quid elementa, quid corpora imperfecta, quid metallum, quid plantæ, quid animal, quot metallorum, plantarum, & animalium genera, quid uirtus, quid fœlicitas, & quid pulcherrimæ omnes res, considerare.

At di-

At dicat optimus uir, utilius, & nobilius est in sacris libris uersari, & diuinarum rerum sapientiam indagare. Quis id negat? Sed animaduertere oportet, non omnibus diuinitus idem munus concessum esse, non omnes esse delectos ad facilè intelligendos sacros libros, & ad interpretanda iudicia Dei, præceps studium in sacris libris; quod à quibusdam est adhibitum, magnos errores peperisse, & Christianam Remp. perturbasse scimus. Quamobrem permittant (peto) non solum meo, sed Venetorum adolescentium nomine, ut philosophia ametur à nobis, ut aliquot annos adhibitis illis (quæ paulò antè explicaui præceptis) nostra cum uoluptate, in ea studium ponamus, quod quidem Philosophiæ studium (liberè ut dicam) non ego ita necessarium iudico, ut quidam putant, ut eum qui in philosophorum libris non sit uersatus, sensa; quæ in sacris libris tradita sunt, percipere non posse mihi persuadeam. Sic statuere, ut ego opinor, est hominis nimium amantis Philosophiam, & non cognoscentis summam Dei benignitatem, qui diuinitatis suæ mysteria, quæ animo concipere non potuerunt ij, qui sapientes habiti sunt, aperuerit aliquandò pueris, & omnium litterarum ignaris hominibus. Sed tamen quanquàm sacros libros sine Philosophia intelligi, & explicari etiam posse ab ijs, quibus Deus facultatem dederit intelligendi, & explicandi; nemini dubium debet esse; tamen maximos usus af

ferre interpraetibus, & scriptoribus Theologiae Philosophiam perspicuum est. Stirpium, & animalium historia, & causae, materiam suppeditant ad confirmandam prouidentiam Dei. Hominis constitutio, eius memoria, uniuersalium rerum cognitio, immortalitatis appetitio declarat apertè immortalitatem animorum. Qui loci ita in explicatione sacrorum librorum, ab optimis Theologis tractati sunt, ut facillimũ sit cognoscere, quantos usus Philosophia sacris libris posſit afferre. Sed de prima Quaestionis parte hactenus. Nunc ordo postulat, ut cùm philosophandum esse ostenderimus, consideremus, num probanda sit eorum sententia, qui persuadere adolescentibus nostris conantur, paucis philosopandum esse. Ideò philosophandum paucis, elegantes homines statuunt, quoniam aſsiduo philosophandi studio, periculum esse dicunt, ne ingenium obtundatur, & homines quasi stupidi, & parum apti ad Rempub. administrandam, & ad omnem societatem euadant. Quibus ut respondeam, ego quidẽ difficilè admodum puto paucis philosophari. Nam qui semel uoluptatem quae ex pulcherrimarum rerũ cognitione percipitur, gustauerit, qui aliquantulum animum suum suauisſimo illo cibo aluerit, nunquàm spontè sed magna cum difficultate, et magno cum dolore à philosophia, nisi hoc studium cũ Theologiae studio permutauerit, diuelletur. Addo etiam, ideò difficile esse paucis philosophari, nam nisi


multa

multa cognoſcantur, pauca in Philoſophia uix poſſunt percipi. Quod quidem affirmabunt illi omnes, qui ordinem, & nexum, quo à philoſophis res ipſæ coniunguntur, animaduerterunt. Philoſophiam ſtupidos, & ineptos ad gubernandas Ciuitates homines efficere, non noua, ſed magna calumnia eſt. An non ſunt morbi Ciuitatum, Ambitio, Auaritia, luxus, qui admiratione rerum externarum, nobilitatis, diuitiarum, & honorum aluntur, & creſcunt? Si hi ſunt morbi, quibus Ciuitatum ſtatus mutari, & in ſeruitutem redigi ſolet, quos medicos Ciuitatibus laborantibus conſtituemus, ſi philoſophos inutiles Reipublicæ dicimus? An alij immoderatam Cupiditatem bonorum, inexplebilem ſitim diuitiarum, multorum incontinentiam, prauos demum mores Ciuitatum moderari, & corrigere potuerunt, niſi homines Philoſophiæ præceptis inſtituti? Scribit Plato in libris de Repub. beatas eſſe eas Ciuitates, quibus aut philoſophi præſunt; aut principes philoſophantur: & rectè quidem uir ille, ut ferè omnia. Quid.n.inter res humanas poteſt eſſe ſalutarius Ciuitati, quàm admirabilis ille chorus uirtutum, qui philoſophum ſequitur, ueritatis amor, monendi libertas, humanitas, manſuetudo, ſtudium bene merendi, rerum externarum, mortis in primis contemptus? Quæ propriæ philoſophorum uirtutes, non magis à philoſophia de moribus, quàm à Philoſophia de rebus, quæ in natura ſunt,

proficiscuntur. Quarum altera pars ita cum altera coniuncta est, ut altera ignorata, in altera mediocriter proficere neminem posse docti homines crediderint. Quamobrem (ut ego quidem arbitror) tandiu philosophandum est, quandiu philosophari nos non pœniteat; pœnitebit autem (ut opinor) nunquàm. Nam philosophica (ut ita dicam) uita, nulla honestior, nulla iucundior est: si philosophantes recordemur nos Christianos esse, & Christiani philosophi, quàm peripatetici appellari malimus. Quod quidem multorum grauissimorum hominum, qui in hac Repub. nati sunt. Hieronymi Donati, Hermolai Barbari, Gasparis Contareni Cardinalis, & Petri francisci Patriarchæ, ex eadem familia, exemplo potest comprobari; quorum quidam, ex his quos nominaui, philosophantes præfuerunt etiam multos annos nostræ Reipublicæ, & iucundissimè uixerunt: alij Reipublicæ Christianæ seruientes, magna cum animi lætitia, optimi Dei ministri, uitæ sanctimonia, & admirabili doctrina, multos mortales ad ueram pietatem excitauerunt. Verùm ità non laudo Philosophiam, ita non probo multarum rerum indagationem, ut ob eam deserenda esse officia statuam, patriam, cuius charitas complectitur omnia officia; parentes, à quibus habemus ut hac luce fruamur: ualetudinem demum, sine qua uix potest hæc uita non esse odiosa, philosophandi causa negligamus. Diuitijs, honoribus,

noribus, quibus plerique abundant ad perniciem suam uoluptatibus corporis, quæ communes hominibus sunt cum animalibus rationis expertibus, philosophiam esse anteponendam præclaris ingenijs facilè probari potest. Crassi diuitias, quas consequebantur (ut fieri solet) fastus, superbia, solicitudo animi, incontinentia. honores, quos Athenis Pericles, & Alcibiades. Romæ, Pompeius, & Cæsar adepti sunt; quos sine arrogantia, fraude, periurijs, largitionibus consequi, sine metu, & sine scelere conseruare non poterant, uoluptates demum omnes omnium mortalium, quas consequitur mœror, pœnitentia, & infamia, cum diuitijs, cum honoribus philosoporum, deniq; cum uel minima uoluptate, quæ ex aliqua Philosophiæ parte percipitur, non esse conferendas, facilè cognoscimus. Sed nunquam, & nullam ob causam deserenda sunt officia, quod qui facit studio multarum rerum cognoscendarum, is cùm se philosophari existimet, longissimè abest à Philosophia, in qua locus tractatur uberrimus de officijs. Hac in re cauendum est maximè nobis, qui in Republica uersamur, ne decipiamus nosmetipsos, putantes, cum debeamus omnia patriæ, eam etiam postulare à nobis ut ei adulemur, ut salutationibus, prehensationibus, magistratus in ea à ciuibus nostris petamus. Qui hanc ob causam studia philosophiæ, quibus delectati sunt aliquandò omittere dicunt, ne ab officio discedant, ut seruiant patriæ,

triæ, uereor ne Ambitionem suam, quæ est admodum inimica philosophiæ prodant. Eadem cautio in ijs, quæ ad ualetudinem custodiendam, & ad officia, quæ parentibus debemus, pertinent, adhibeatur. Nemo seipsum decipiat. Si à natura ad Philosophiam habet idoneum ingenium quod non paucis è nostris concedi solet, philosophetur, non paucis tantùm, sed multarum & pulcherrimarum rerum causas inuestiget, idque si otium suppetat. Otium autem suppetit in hac pulcherrima Vrbe quàmplurimis, præsertim illis qui aliquandò Rempub. administraturi sunt. Respublica paucissimos reuocat à studijs philosophiæ, ea præsertim ætate, quæ studijs est accommodata. Alia impedimenta uel nulla, uel minima esse possunt. Quare si ullo in loco philosophandum est, & abditarum, & pulcherrimarum rerum causæ, & proprietates inuestigandæ; Venetijs diuino beneficio concessum est facere, quod fieri à non paucis excellenti ingenio adolescentibus, magnopere gaudendum est illis, qui hanc Rempub. amant. Sed iam ad reliqua pergamus.



DE

DE RECTA PHILOSOPHANDI RATIONE.



Liber Secundus.



ERTIAM disputationis propositæ partem, quæ erat qua ratione philosophandum sit, mecum diligenter consideranti, multa uenerunt in mentem, quibus intelligebam, me grauissimum onus suscepisse. Cum enim animaduerterem tot, et tantas dissensiones esse inter principes huius ætatis philosophorum, dubitabam fieri non facilè posse, ut de recta philosophandi ratione scribens, aliquorum animos non offenderem. Ita insitum est nobis mortalibus, ut probari illa, in quibus non excellimus, & non laudari ea studia, quibus dediti fuimus, non sine magna molestia audiamus. Verebar etiam ne maximi nominis philosophi molestè laturi essent, me, in quo omnia minus, quàm mediocria sunt, et qui omnibus philosophiam profitentibus cedo, ipsis hac de re nihil scribentibus, ausum esse, pulcherrimum & difficillimum hunc locum tractare.

ctare. Quae omnia, etsi mecum considerans, à tractanda hac quaestionis parte deterrebar, uicit tamen uoluntas & studium Auditorum meorum, quibus admodum utile fore existimaui, si rationem philosophandi, quam probat is, quem audiunt, pluribus uerbis explicatam habuerint. Sed rogatos omnes philosophos uelim, ut si ad eorum manus hi libri aliquandò peruenerint, eos legant, addant, minuant, mutent quicquid non placebit, efficiant ipsi, quod à me praestari non potuit; doceant, quae sit recta philosophandi ratio, ut tandem hac de re, quae est non minimi momenti, omnes dissensiones hac aetate tollantur. Ego nonnulla philosophantium puto esse impedimenta, siue potius uitia, quae omnino remoueri oportet, antequàm de recta philosophandi ratione agatur; quorum quaedam ingenijs quibusdam à natura sunt insita, quaedam uerò praua educatione, & parentum negligentia contracta. Sunt nonnulli ita tardi, ita obliuiosi, ita demum hebeti, & planè infelici ingenio, nihil ut ab eis uideatur alienius, quàm philosophari. Qui cum inuita Minerua ad philosobiam se conferant, ut amicis, & parentibus eos ad ea studia hortantibus pareant, in philosophiae studijs cum molestia uersantur, scientiae obscuritatem accusant; bona quae excerpi ex ea possunt multa, & magna non animaduertunt, quicquid erroris in ea est id imbibunt, & demum è Scholis philosophorum nihil discunt aliud, praeterquàm caeteros

cæteros contemnere, sibi multum tribuere, & ut sapere uideantur, philosophorum aliquandò ambiguas, interdùm absurdas sententias proponere. Cuius generis hominibus philosophiam dedecorantibus, satius esset uersari in quouis alio, quàm in philosophiæ studio. Quod quidem studium cùm Plato in sexto de Repub. libro mirũ in modum laudasset, & maximè utiles Reipub. esse philosophos ostendisset, ingenuè admonuit non omnibus datum esse ingenium idoneum ad philosophandum. Explicat uir admirabilis quale sit ingenium philosophicum, & iubet, ut disciplinis, & recta educatione excolatur. Acutum ingenium, ueritatis amantissimum, ad res facilè percipiendas aptum, inprimisque liberũ, philosophicum appellat. Quod summa diligentia rectè instituendum ideò statuit quoniã in utramq; partem sunt uehemẽtia huiusmodi ingenia, si recta ratio adhibeatur, si disciplinis excolãtur, usus multos afferunt humano generi, & gloriam sibi pariunt maximam. Contrà, praua disciplina ab ignobilissimo, & maximè pernicioso magistro uulgo, erudita ad assentationem, & superbiam, & imprimis ad principatus quacunque ratione appetendos, Ciuitates aliquandò perturbare, & Respublicas euertere consueuerunt. Quod quidem Alcibiadis, Catilinæ, Cæsaris, et aliorũ multorum exemplo confirmari potest. Vt autem quis rectè philosophetur, necessarium est ut absint illa, quæ dixi impe-

dimenta, infœlicitas (ut uno uerbo omnia complectar) ingenij, & corrupta uiuendi ratio. Nam in quo alterum eorum, quæ non impropriè (ut opinor) appellaui philosophiæ impedimenta, insit: is nec gustarè fructus suauissimos huius scientiæ, nec prodesse alijs, nec demum ulla ratione dici unquàm poterit philosophus. Quamobrem (uerè ut dicam) ab illis, qui præclarum à natura habent ingenium, & igniculos eorum animis insitos, inertia non extinxerunt, honestatisque semina prauis moribus non corruperunt, hos libros in primis legi opto. Capient ipsi (ut spero) ex hac mea industria, aliquem fructum. Peto autem à præclaris, quæ descripsi ad philosophiam natis ingenijs, ut nullas alias ob causas philosophentur, nisi amore sapientiæ, & cum multarum rerum cognitionem erunt consecuti, prosint aliquandò amicis, & patriæ docendo, aut consulendo, habeantque locos quibus possint confirmare ea, quæ de sapientia, potentia, & bonitate Dei in sacris libris tradita sunt. Hæc ideò peto, nam si contendendi studio, Auaritia, aut Ambitione, philosophari incipient, magnum periculum est, ne acumen ingenij ostentantes, falsi philosophi, uel potius sophistæ euadant. Quos dogmatum mercatores, adolescẽtium præcipuè diuitum (ut Platonis uerbis utar) uenatores, ac magistros impudentiæ, non solum ab hac optima Vrbe, sed ab Italia, ab Europa, & ab uniuerso terrarum orbe, ut

genus

genus hominum perniciosum, remouẽdos iudico. Sed iam, quam rationem præclara ingenia à primis annis rectè instituta adhibere debeant in philosophando explicemus. Qua in re quædam sunt consideranda. Primùm num linguarum cognitio sit necessaria. Deinde, num illarum Artium; quæ uinculo quasi quodam inter se continentur, Rhetoricæ, Poeseos, historiæ cognitio requiratur, & si requiritur, quatenus requiritur. Tum, num dubitationibus tractanda sint omnia quæ in Philosophia sunt; an cum Philosophia Eloquentia sit coniungenda, postremò utrum Aristotelica Platonicis, & philosophica Theologicis sint miscenda. In singulis tractationis propositæ partibus, uariæ sunt sententiæ huius ætatis philosophorum. Utrum autem Mathematicæ disciplinæ discendæ sint, nec ne, dubitandum mihi quidem uidetur non esse. Nam & afferunt maximos usus, & incredibiliter illis, adolescentiũ ingenium exercetur, et quasi acuitur. Quanti autem faciendæ essent, indicauit Plato, qui neminem suscipere instituendum solebat, nisi Geometria in primis esset instructus. Exempla etiam Mathematica quibus Plato, & Aristoteles crebrò utuntur, commendant præclaris ingenijs ea studia. Quare mirum in modum adolescentes, qui illis sciẽtijs delectãtur laudo, magnos ex suis laboribus fructus capturos polliceor. Sed tamen modum adhibeant: nimium illarum disciplinarum studium,

Astrologiæ præsertim laudatum non fuisse à doctis hominibus sciant. sed iam ad quæstiones propositas redeamus. Ac primum cum uniuersa philosophia, tum de moribus, tum quæ causas, & proprietates rerum naturalium explicat, græcis literis à præstantibus ingenio, & doctrina uiris, à Platone, & ab Aristotele præsertim sit tradita, putant multi, cognitionem Græcæ linguæ ita necessariam esse, ut siquis græcè non nouerit, ne tolerabilis quidem philosophus possit euadere. Non minimam dicunt inesse in rebus, quæ in Philosophia sunt, obscuritatem, eam augeri erroribus illorũ qui Aristotelis libros latinos facere studuerunt: quorum nonnullos ita incongruè, ità ineptè, ita demum inquinatè Aristotelis sensa proprijs admodum uerbis scripta, uertisse, ut sine magno fastidio non possint legi: alios uero in eiusdem libris uertendis, adeò studiosos fuisse latinitatis, & Elegantiæ affirmant, ut Ciceronianis uerbis multa sensa perturbauerint, & philosophantibus non minimum laborem addiderint. His rationibus græcæ linguæ, qua præstantissimi in singulis disciplinis homines ad hominum usum cogitationes suas explicauerunt, cognitionem esse admodum necessariam, concludunt. Contrà, præstantes quidam ingenio uiri cum rerum multarum cognoscendarum cupiditate ardeant, & multo tempore, maximoque labore opus esse intelligãt ad copiosissimas duas linguas, Græcam & la

tinam

tinam percipiendas, earum studium, ut molestum, & parum utile, quandoquidem (ut ipsis quidem uidetur) retardet, & impediat plerumque præstantibus ingenijs multarum rerum cognitionem, negligunt. Græca ne attingunt quidem, quòd industria doctorum hominum dicunt facta latina omnia; latini sermonis uel minus quàm mediocri cognitione sunt contenti; puerile studium linguarum putantes, eos libros legunt, quibus nulla uerborum ratione habita acutissimæ sententiæ sunt explicatæ. Ex qua uarietate sententiarum, & confusione linguarum intelligimus, quàm difficilè sit hac ætate in nobilissimis artibus, in philosophia in primis, ad aliquam laudem peruenire. Cum.n. innumerabiles res nobis sese offerant, quarum cognitio pulcherrima, & difficillima semper est habita, huic indagationi, cui ætas hominis non sufficit, additus est labor planè necessarius duarũ linguarũ percipiendarum, quem qui suscipit; de indagatione rerum, & studio nobiliore detrahat aliquid, necesse est. Quem demum qui fugit; inscitia linguarum errare sæpe cogitur, & hac ætate in magna existimatione haberi non potest; quæ etsi uerissima sunt; non est tamen abijciendus animus; immò quò difficilius est laudem in studijs hac tempestate consequi, eò alacrius adolescentibus suscipiendi uel maximi labores sunt. Quid igitur hac de re statuendum? Statuendum est illud (ut opinor) ualde utilem esse, Græcæ; latinæque

tinæque linguæ cognitionem, discendas à primis annis, et iacienda esse fundamenta doctrinæ, idque cum molestia fieri non debere, quandoquidem cum hoc incōmodo, multa commoda, immo maxima, & illustria hac ætate beneficia nobis concessa sint, quibus chariores Deo nos esse, & sapientiores posse euadere illis, quos sapientissimos Græcia putauit, intelligamus. Sed tamen tantum onus non imponimus philosophicis ingenijs, ut nisi Græcam, & latinam linguam ita didicerint, ut omnes libros qui illis linguis scripti sunt, possint explicare, atque in ijs etiam scribere, ad philosophiam non accedant, in ea non sperent excellere. Ita iudicare (ut ego arbitror) est molesti nimium, & morosi ingenij; & est illius qui maximam philosophiæ partem in Grammaticæ cognitione esse positam putet. B. Thomam Aquinatem, philosophum tolerabilem non putabimus, quoniam non optimè (uitio illius ætatis) linguam Græcam nouit? Pomponatium, Zimaram, Aquilinum, è nostris Sebastianum Fuscarenum, qui in eodem, quo ego nunc, magna sua cum laude, tos annos, uersatus est munere, nō magnificiemus? Non fuisse philosophos dicemus, quoniam non nouerunt græcè, & latinè eleganter scribere non potuerunt? Ego certè id nec dicere, nec in animum meum possem inducere, Hominibus, qui philosophi præstantissimi sunt habiti, Beato Thomæ in primis, cuius ingenium qui non magnifacit, eius li-

eius libros aut non legit, aut ob ingenij tarditatem, non potuit intelligere; nunquam ego tantam iniuriam facerem. Imo, mea quidem sententia, tam uehemens studium, tantam uerborum curam, modo multis sententijs tanquam luminibus scripta sint illustrata, requirere grauem hominem, hoc est, philosophum non decet, hac ætate in primis, qua alienis linguis cogimur uti, ad percipiendas scientias. Neque tamen Adolescentes Veneti debent existimare, à me non plurimi fieri linguarum cognitionem, quibus non ignorant me non paucos annos, operam dedisse. Sunt (ut dixi) fundamenta doctrinæ; illis aditus patefit mediocribus ingenijs ad omnes scientias percipiendas; eas qui nouerunt in magna existimatione semper fuerunt, eorum libri leguntur libentius, sed tamen cum scientia ità constet ex rebus, & uerbis, ut nos ex anima, & corpore, rerum tractationem scientiæ animam, iure quispiam existimauerit, & ideo cum animus moderatus ametur, etsi in non pulchro corpore contineatur; ità graues, et acutas sententias inornatis, & inelegantibus uerbis explicatas, magis, quàm elegantem, & floribus multis uestitam, inopem tamen sententiarum orationẽ probarem, et libẽtius legerem. Quòd si quis potest utrunque; ut potuerunt Plato, Xenophon, Aristoteles, Plutarchus, Cicero, & multi alij, hoc est, Eloquentiam cum sapientia coniungere, & de maximis quæstionibus grauiter, & ornatè dicere, is summo in

mo in honore habendus est, is audiendus, ei permittendum de illis, qui in magna existimatione sunt habiti, iudicium ferre. Quòd si ad eam laudem se peruenisse, his temporibus, nemo fortaßè sibi debet persuadere, amicè hortor homines satis in linguarum cognitione, in studijs uerò doctrinæ, minus quàm mediocriter uersatos, ut hanc suam non contemnendam linguarum cognitionem non tanti faciant, non ita ostentent, ut contemnant præstantißimos à quibus multa discere possent, homines: non deterreant à philosophiæ studijs præclara ingenia, studeant aliquid discere, ne puerile fuisse eorum studium omnes intelligant. Atque ut iam hanc quæstionis partem absoluam, ego quidem puto esse admodum utile linguarum duarum nobilißimarum, quibus artes omnes, & scïentiæ continentur, studium. Moneo, & rogo adolescentes Venetos, cùm sibi multarum rerum cognitionem, & gloriam proposuerint, in eis ut uersentur, laborem non fugiant; eosdem hortor, ut non adeò græci, & latini sermonis admiratores se esse profiteantur, ut B. Thomam, & alios multos, quamuis græcè non nouerunt, & eleganter scribere latinè non didicerunt, non philosophos audeant appellare, quandoquidem, in illis uiris, in B. Thoma præsertim, ingenium philosophicum, acerrimum iudicium, incredibilis demum ueritatis amor fuerit, quæ certè non potuerunt non parere indagationem multarum rerum, à

qua demum tanquàm à matre, admirabilis doctrina orta sit, necesse est. Quæ etsi uerissima sunt, eis tamen pro amore in illos meo, hoc consilium dederim, ne suo nimium ingenio freti, & ardore nimio rerum cognoscendarum accensi, sperent, eandem sine linguarum adiumentis doctrinam, eandemque laudem, quam B. Thomas, & alij admodum pauci sunt consecuti, hac ætate assequi. Quod quidem facilè intelligent, si secum considerabunt illos uiros, linguas nobilissimas non contempsisse, eas ignorasse uitio, uel potius fato temporum. Nos qui in tanta copia librorum, & doctorum hominum nati sumus, uitare facilè non posse, quin earum ignoratio, negligentiæ, aut deprauato iudicio nostro tribuatur. Quod autem ad Rhetoricæ, Poeseos, & nobilium Artium cognitionem pertinet, non est dubium ueteres philosophos, quos antiquitas admirata est, illis mirum in modum artibus delectatos fuisse, nec solum fuisse delectatos, sed illis usos fuisse tanquam ministris ad explicanda ea, quæ in Philosophia obscura sunt. Vt alios omittam, Platonem, qui diuinus philosophus est appellatus, animaduertimus fuisse hominem eloquentissimum, eius sermone nullum posse excogitari elegantiorem, aut ornatiorem, quod quidem uerissimum esse, qui ipsius dialogos legunt, facilè intelligunt. In quibus quidem dialogis, ex historicis, & Poetis, aliquandò lumina quædam reperiuntur, quæ alijs in libris non sunt, &

quibus mirum in modum legentes delectantur. Qua quidem ex re perspicuum est, Platonem uirum admirabilem, Rhetoricæ, Poeseos, Historiæ studiosissimum fuisse. Aristotelem autem, illius quem nominaui, uiri admirabilis, Platonis discipulum, appellauit Cicero, ut Plutarchus scribit in eius uita, aureum flumen Eloquentiæ, & iure; nam ad uerborum, quibus res obscuras explicauit, proprietatem, & elegantiam, nihil addi posse uidetur. Quam proprietatem, & elegantiam uerborum, eloquentiam ego philosophicam, & non minimam illam quidem appellauerim. Poeticam; & Rhetoricam artes, quanti fecerit, tum ex libris, quos de illis artibus scripsit, intelligimus, tum etiam ex omnibus eius scriptis, in quibus Oratorum instrumentis utitur aliquando, & Poetarum testimonio. Historiarum autem scientissimum fuisse Aristotelem, libri octo de Repub. in primis ostendunt. Quare negari non potest, coniunxisse ueteres sapientiam cum Eloquentia, & nexum Artium, & scientiarum admirabilem incredibiliter amasse. Quam longè omnium philosophorum præstantissimorum sententiam, secuti sunt Græci, Romani, & proximis etiam ætatibus, multi ingenio, et iudicio præstantes homines; qui cum ad philosophiam, ueluti ad reginam, & matrem omnium Artium, & sententiarum, omnia sua studia referrent, non rectè perceptis primis artibus, ad eam accedere non sunt ausi. Quas

primas

primas artes cum tenerent singuli in illis, quibus à natura magis erant dediti, excelluerunt. Nemo dubitet Theophrastum, Eudemum Aristotelis discipulos, Alexandrum Aphrodisæum, Ammonium, Themistium, Simplicium, Philoponum, Eustratium, Plutarchum, & multos alios è græcis, qui docti sunt habiti, è Romanis Varronem illum, Catonem, Brutum, Ciceronem, Boetium etiam proxima ætate, Marsilium Ficinum, utrumque Picum, Politianum, Barbarum, Donatum, Contarenos, Sadoletum, Polum Cardinales, & alios plerosque cum philosophi esse maximè studerent, amasse primas artes, easque didicisse. Quamobrem laudari non debent ij, qui cum philosophiæ sectatores se profiteantur esse, has artes ingenuas, & nobili homine dignas contemnunt: qui quidem cum sint tam peruerso iudicio, dubitaret fortassè quispiam, an possint cum hac nobilium Artium ignoratione, & deprauato iudicio, tolerabiles philosophi euadere. Sed hac etiam in re est modus adhibendus. Non .n. homini conceditur illud quod Aristoteli concessum est, admirabile ingenium, & planè diuinum iudicium, ut Poetis, Rhetoribus, Philosophis, in quacunque philosophiæ parte præcepta possit tradere, omnium, qui de Poetica Arte scripserunt, princeps, Rhetorum omnium magister, philosophorum demum ueluti Rex sit, & habeatur, quoniam id non conceditur facilè, & for-

taſsè in hac confuſione linguarum, nemo reperiri poteſt, qui in ſingulis, quas dixi, Artibus, ad magnam laudem perueniat, ne philoſophica ingenia à rerum indagatione deterreantur, permittendum illis eſt auctoritate doctiſsimorum hominum, ut mediocri Poeticæ, Rhetoricæ, Hiſtoricæ facultatis cognitione, liceat philoſophari, præſertim cum non paucos uideamus, ſine mediocri earum, quas dixi, Artium cognitione, ad non mediocrem laudem in Philoſophia perueniſſe. Quòd ſi quis æquiſsima hac optimorum, & doctiſsimorum hominum, quam ſequimur, ſententia minimè contentus, Rhetoricam, Poeticam, Hiſtoriam, ut pueriles artes, & minimè neceſſarias omittens, Grammaticam etiam nutricem cognitionis negligat, ei nihil reſpondeamus aliud, niſi ut in ſua ſententia manens, caueat, ne minutus plebeius, & ridiculus philoſophus ſit, & habeatur. Vtrum autẽ dubitationibus propoſitis ſit diſputandum de omnibus, quæ in Philoſophia ſunt, nunc eſt conſiderandum. Opportunæ dubitationes, negari non poteſt, præbent occaſionem ueritatis inueniendæ, & fit, ut qui dubitat, quærat; qui quærit inueniat; qui conſueuit inuenire, is quamplurimas res, earumque cauſas cognoſcat. Quare inuentio dicta eſt nodi, quo animus noſter, quaſi uinctus fuerit, ſolutio. Hanc fortaſsè ob cauſam excellenti ingenio uiri, cùm magnam laudem in ſcientia ſibi propoſuiſſent, quibuſdam legibus

diſputan-

diſputandi ſeruatis, de omnibus rebus, uel minimis diſputationes inſtituerunt, argumentis propoſitis in utramque partem, quorum quibuſdam abſolutis, ſententiam ea de re ſuam confirmarunt. Quod genus philoſophandi ego non audeo uituperare, rationem tamen quam adhibuerunt græci philoſophi, uerè ut dicam, magis probauerim. Nã cum in Philoſophia quædam res ſint ita dilucidæ, ita apertæ, ut ſenſuum teſtimonio, & aliqua inductione poſſint comprobari; longas de illis, & acutas inſtituere diſputationes, fortaſsè uidetur eſſe hominis abutentis ingenio, & litteris. Nihil unquàm dubitare, eſt aut hominis nihil ignorantis, quod eſt proprium unius Dei, aut tardi, & ad nullam laudem nati ingenij. Quamobrem diſputent cupio Adoleſcentes Veneti, & amicè inter ſe; & cum dubitant, petant etiam ab alijs. Sed nolim de omnibus aſſueſcant diſputare, ne in uitia illa incidant, à quibus monuit Plato, ut omnes Adoleſcentes caueant, hoc eſt ne peruertant iudicium, & dum doctrinam, & laudem aſſequi ſtudent, inſcitiam, & famam impudentiæ aſſequantur. Qui omnem rationem diſputandi negligunt, magnas occaſiones pulcherrimarum rerum indagandarum, & inueniendarum negligunt, & cùm Græcos ſe imitari dicunt, ab illis longiſsimè abſunt. Nam Alexandri, Simplicij, Philoponi, & aliorum Græcorum interpretum libri, dubitationibus multis, ſubtiliter admodum, & elegan-

& eleganter tractatis, sunt referti. Quòd si quis recentiores philosophos, qui scolastici appellari uoluerunt, in tractandis disputationibus Græcos superasse dicat, id quamuis facilè non concesserim, necessarium tamen eos non iudico pluribus uerbis refellere. Sua ut singulis ætatibus aliquibus in rebus, ita etiam in philosophando fuit laus. Suus Græcis Aristotelis explicatoribus, perspicuitatis, iudicij, & multiplicis doctrinæ: Suus Auerroi, ingenij acerrimi, uariæ cognitionis, & diligentiæ. Suus demum recentioribus solertiæ, acuminis, & industriæ honor tribuatur. Laudentur omnes explicatores Aristotelici, Græci, arabes, recentiores. Laudentur Platonici; in omnibus.n. quædam sunt laudanda; sed sequamur eam uiam, qua, minori cum molestia, & citius ad rerum cognitionem perueniamus. Ita ad disputationes erudiri, ne dicam ad contentiones, ut nisi disputemus, nesciamus loqui, molestum fortassè est, & alienum ab humanitate. Rationem disputandi ita ignorare, ut quibusuis argutijs facilè decipiamur, hominis indocti, & minus quàm mediocri ingenio præditi uidetur esse. Quare modus adhibeatur, ne stupeamus in solis scholasticis philosophis, eos tamen ne contemnamus. Amemus, & sequamur Græcos, tribuamus etiam multum Auerroi; dubitemus, non tamen semper, non de omnibus, non ubique, non cum ijs, cum quibus non decet, hoc est cum impijs, aut

pijs, aut

pijs, aut pueriliter, de rebus apertis, aut nullius momēti di ſputantibus. Verum cùm oſtenderimus non eſſe tractandam uniuerſam Philoſophiam dubitationibus; quærat quiſpiam; qua ratione, pulcherrimæ res quæ in ea traduntur ſint explicandæ. Paucis ut rem totam abſoluam. Si non ſolum propriè, ſed etiam eleganter, & ornatè, explicari poſſunt grauiſsimæ, quæ in Philoſophia ſunt, ſententiæ, id fieri debet, nec præſtari poteſt ſine eorum, qui utrunque poſſunt magna cum laude. Sed propriè ſi explicentur philoſophorum ſenſa, eleganter, & ornatè ut id fiat, ne Cicero quidem, ut ipſemet ſcribit, poſtulat philoſophia, cum ſit inter omnes Artes, & omnia humana ſtudia, ueluti uirgo ſimplex, & incorrupta. Ita orationem, qua exprimitur, decet puram, & minimè fucatam eſſe. Voces quæ faſtidium pariunt, ſunt remouendæ, fucus, & lenocinia uerborum ſunt fugienda. Rebus uerba, non uerbis res ſeruiant, ſatis eloquentes philoſophi habeantur, ſi ſententias philoſophorum intelligant, & poſsint ſine audientium faſtidio eas explicare, uocabulis illis adhibitis, quæ uſus, et philoſophorum (ut ita dicam) Reſpub. admiſit, & comprobauit. Quòd ſi quem delectet in hac, qua utimur uulgari lingua, ſententias quas à philoſophis didicerit, ſcribere; eum quis non laudet? Velim tamen ego potius non ſolùm italis, ſed etiam omnium nationum excellentibus ingenijs ſcribant omnes, qui aliquid poſſunt

ſcribere

scribere dignum monumentis literarum, quod latina lingua, quam omnes nationes admittunt, hac tempestate, commodè fieri uidetur posse. Verum tractemus reliquas Quæstionis propositæ partes, & consideremus num miscenda sint Platonica Aristotelicis, qua in re aduersarios habemus non unius generis philosophos. Alexandræi nonnulli philosophi, qui germani Aristotelis, & haberi uolunt, & sunt, perturbari Philosophiam ea ratione dicunt. Aristotelem uerè philosophi nomine dignum esse. Platonem illum quidem philosophica tractasse multa, sed tamen adeò metaphoris, & similitudinibus delectatum esse, ut Orator potius quàm philosophus esse, & haberi studuerit. Quamobrem si Platonem laudant, laudant admodum parcè, et laudant ingenium potius, et Eloquentiam, quàm rationem docendi, & sapientiam. Quam quidem de Platone doctissimo philosopho opinionē conceperunt etiam recentiores ferè omnes philosophi, et multos annos retentam, posteris reliquerunt. Itaque nonnulli amore Aristotelis, ut Alexandræi omnes, alij eadem de causa, uel etiam quòd eius scripta nunquàm legerunt, admirabilem hominem, quem uiginti annos audiuit Aristoteles, quem diuinum dixit Antiquitas, quem Cicero, accerrimo iudicio uir, appellauit Deum philosophorum, in nullo, aut minimo honore habuerunt, eius dialogos sapientia, et eloquentia refertos neglexerunt; quorum qui-

dem iudicium,neque unquàm probabo, nec ſequendum illis quos diligo, propoſuerim. Vtrumq;.n. ego (Platonem et Ariſtotelē intelligo) exiſtimo fuiſſe hominem doctiſſimum. Quòd ſiquis alterum altero doctiorem fuiſſe contendat, fortaßè nimium ſibi tribuit; audet ſtatuere, quod doctiſsimi uiri non ſunt auſi. Quamobrem ueritatis indagandæ ſtudio, & ne fraudemus debita laude præſtantiſſimum uirum Platonem, eumque temere reprehendamus, conferendas exiſtimo Platonis ſententias cum ſententijs Ariſtotelis, & quantùm in nobis eſt, eniti, ut in quo, duo magiſtri humanarum ſcientiarum conſenſerint, & diſſenſerint, obſeruemus. In quo ſtudio cùm uerſati fuerint Simplicius, Philoponus, Euſtratius, proximis annis Ioannes Picus, uerſari nos etiam ſine moleſtia poſſumus, & debemus, præſertim ſi philoſophi tantoperè haberi, & dici cupimus. Nam ſi Platonem contemnimus; eius Dialogos non legimus, Ariſtolem certè, à quo tandiù ſumma diligētia auditus fuit, et tot ſeculorū iudicium tacitè uidemur contemnere, & uerißimarum, pulcherrimarum ſententiarum, & demum optimorum præceptorum cognitione, quæ in eius ſcriptis continetur, noſmetipſos imprudenter priuamus. Ità tamen iudico Platonis dialogos, quibus ſcientiæ continentur non eſſe antea attingendos adololeſcentibus noſtris, quàm Ariſtotelicorum librorum non minimam partem Dialecticam in primis Artem maximè utilem,

F recte

rectè didicerint. Quod ubi fecerint, si Platonica cum Aristotelicis coniungent, magnam utilitatem, & uoluptatem capient; non audebunt impudenter reprehendere admirabilem hominem, non colent unum Aristotelem; eleganti illa, & morata Platonis oratione excitabuntur ad cognitionem, ad omnem uirtutem, & præcipuè ad modestiam. Sed iam ordo postulat, ut quæramus num cum philosophia Theologia sit coniungenda; qua in re (ut opinor non est difficile iudicare quid sit statuendum) si ueritatis studiosi, si indagatores pulcherrimarum rerum sumus, cur nobis non debet esse iucundum, ea quæ à philosophia didicimus, sacrorum librorum testimonio, & sanctissimorum hominum rationibus, & auctoritate confirmare? Quòd si quid repugnet uerissimæ scientiæ Theologiæ, quid potest esse tam necessarium, quàm illud ipsum cognoscere, & alijs explicare, ne diutius in errore maneant? Sed nos miseros, nobis ipsis stultè nimium tribuentes, pudet philosophantes rationibus quæ in sacris litteris sunt, uti; non esse perturbandas scientias dicimus; studium eorum, qui id faciunt, aliquandò irridemus, quasi nos iuuet errare, [illegible]ibi, admirantes nonnullorum hominum acutas sententias. An inutile potest esse, cum præceptis de moribus Platonis, Xenophontis, Aristotelis Plutarchi, Ciceronis, conferre ea quæ Salomon, Paulus, Basilius in ethicis, [illegible] Ambrosius in libris de officijs, Thomas

multis in libris, & sanctissimi alij multi homines tradiderunt? Cur si possumus, non utile putamus, metallorum, stirpium, animalium, aliquam cognitionem petere è sacris litteris, quarum auctoritate, Aristotelis sententia aut confirmetur, aut refellatur? Tantum abest, ut non pauci qui philosophantur, hæc studia coniungant, ut indignum putent philosopho, non defendere Mundum esse ingenitum, animos mortales, Deum non curare res humanas, quòd si quis rationibus à philosophia illis quidē sumptis, sed uberius ab optimis uiris Theologis explicatis, peruersas eorum opiniones conetur euellere, scilicet admirabiles philosophi rident, dicunt se esse philosophos, ueritatem philosophicam se defendere, non licere sacra miscere prophanis, philosophis cum Theologis nō esse disputandum. O' ignobile, & miserabile Philosophiæ studium, si eo erudiuntur ad impias opiniones defendendas homines; Si discunt Theologiam uerissimarum sententiarum matrem, & ueram rectè intelligendi, & beatè uiuendi magistram contemnere. Sed plura hac de re, hoc loco dicere non est necesse. Pontificum maximorum decretum custodiatur. Nemo absurdā in hac Vrbe philosophi ullius sentētiam proponat, quin statim moneat aduersari Theologiæ, falsam esse, non esse admittendā. Quod quidem non obseruari in publicis gymnasiis à quibusdam, queri boni uiri consueuerunt, & iure quidem optimo. Hanc autem rem, ut

tandem absoluam, tantum abest ut coniungendam Philosophiam cum Theologia alienum putem à philosopho, ut qui id hac ætate; qua, singulari Dei beneficio, sapientiam cognoscimus, nō nouit facere, putem bonum philosophum appellari non posse. Nam, per Deum immortalem, quid tandem possumus discere, si Deum regere uniuersum Mundum, & animos nostros immortales esse ignoramus, Si dubitamus factus Mundus sit, necne. Coniungatur igitur cum philosophia Theologia, sine Theologiæ præceptis quibusdam, ne discatur quidem Philosophia. Reliquum est, ut, quibus ducibus philosophandum sit, explicemus. Platonem, & Aristotelem eius discipulum duces, & philosophandi magistros optimos proponimus. Quorum quidem uirorum ingenium, iudicium, ordinem in scribendo, & summam doctrinam, ad excitandos omnes ad eorum studium, si opus esset, laudarem, sed uterq; multorum seculorum testimonio, tantam celebritatem nominis, tantamque apud omnes gentes laudem est consecutus, ut nullis laudibus neque dicendo, neque scribendo, eorum gloria posit augeri. De illis uiris ego audio affirmare, quod affirmāt omnes, doctissimum utrunq; fuisse, utrumq; benè meruisse de genere hominum, tradidisse Artes, et scientias, multos mortales ad cognitionem, & ad benè uiuendum excitasse. Vter autem eorum fuerit doctior, nec facilè intelligo, nec auderem iudicare. Non dissimula-

rem tamen, ut maiestate sententiarum, uerborum Eloquentia, & admirabili quadam Arte erudiendi ad modestiam, & excitandi ad omnem uirtutem, mihi uisus est Plato excellere, ita in Aristotelis scriptis, admirabilem, & planè diuinam seriem, multiplicemque rerum uariarum, & pulcherrimarum scientiam, proprijs uerbis explicatam, me animaduertisse, ita ut mihi uideatur Aristoteles aptior ad erudiendos adolescentes. Quamobrem philosophari cupientibus, illis, quas superiori libro explicaui, regulis adhibitis, ducem in primis propono, & magistrum Aristotelem, à cuius libris, perceptis mathematicis disciplinis, quantum satis sit ad exercitationem ingenij, & ad uitæ usum. Dialecticam primùm discant artem maximè necessariam, & scientiarum omnium fundamentum, tum Rhetoricam, Poeticam, deindè ad Philosophiam accedant. Si me autem audierint; in philosophia primùm de rebus naturalibus uersabuntur, in ea.n. tractantur multa de animi facultatibus, & de hominis natura; quibus cognitis; maiore suo cum fructu; in philosophia de moribus, & in reliquis omnibus partibus deindè poterunt uersari. Quo in studio cùm aliquot annos uersati fuerint, hortor singulos adolescentes uenetos, quos mirificè diligo, ut philosophorum omnium, Aristotelis etiam ipsius magistri Platonis dialogos studiosè legant, utilitatem percipient tantam, quantam nemo dicendo consequi potest.

Quibus

Quibus autem explicatoribus sit utendum ad Aristotelis sensa, quæ obscurissima dicuntur esse, percipienda, uariæ sunt sententiæ. Mihi maximè probatur Græcorum explicandi ratio. Placet etiam multis in locis iudicium Auerrois. Ex recentiorum latinorum philosophorum dubitationibus, ex Beati Thomæ Aquinatis imprimis, non minimum fructum percipi posse iudico. Opto ut græcis delectentur Auditores mei. Eos tamen moneo, nullum genus explicatorum contemnant. Nam mea sententiā sic se res habet, ex uarijs hominibus, quorum quidam ad Aristolis scripta intelligenda, usi sunt Græcorum explicatoribus, alij Auerrois commentarijs, alij denum dubitationibus recentiorum latinorum; etsi discreparunt in explicatoribus amandis, & sequendis; aliqui tamen ex omni genere ad laudem peruenerunt. Adsit ingenium philosophicum, absit inimica philosophiæ arrogantia; adhibeatur diligentia, & indagatio; admittatur à philosophis illud Socraticum, saltem aliquandò, id non scio, non audiantur illæ uoces; Demonstrationem affert Aristoteles de motus æternitate. E' græcis, ex Arabibus, ex recentioribus philosophis disci possunt quamplurima; sed ut dixi, quò græcis explicatoribus Aristotelis magis delectabuntur Auditores mei, magis eorum iudicium probabo, eoq; faciliorem sibiipsis aditum facere ad sententias Aristotelicas percipiēdas putabo. Quærat

rat quispiam commentarij qui scripti sunt in Platonis dia logos, legi debeant, nec ne; legendi sunt, non solùm Plato nicorum, Iamblici, Plotini doctissimorum hominum, sed aliorum multorum commentarij, modò suppetat otium, & satis in Aristotelis, Platonis, Xenophontis, Plutarchi scriptis simus uersati. De scientiarum, & uitæ humanæ magistris, philosophis cum sermonem instituerim, rogo homines nonnullos, acutos illos quidem, sed parum graues, & non admodum eruditos, qui Xenopontem, Plutarchum, Ciceronē, Plinium, Senecam, nobilissimos scriptores contemnunt, & philosophos appellandos non esse disputant, eorum scripta, ne iacturam iudicij faciant, ut legant. Agnoscent Xenophontem ut Socratis admirabilis philosophi discipulum, & ut æqualem, & æmulum Platonis, Plutarchum, Plinium, & Senecam scriptores grauissimos, & rerum naturalium obseruatores diligentissimos iudicabunt. Deindè si philosophiam de moribus, ut debent, amant, præcepta de moribus Aristotelica, et Platonica; illius, quem nominaui, Plutarchi opusculis, Ciceronis elegantissimis, et planè Senatorijs disputationibus illustrata, & aucta intelligent. Quòd si Senecam legerint acutum hominem, & stoicum philosophum, certè suo acutissimi homines argumentandi acumine, & crebris sententijs, quibus uir ille est usus, delectabuntur, & desinent tandem contemnere illorum scripta, quibus

pruden-

prudentiores, & doctiores, possint euadere. Illos, quos nominaui, & quos iamdiu uenerata est antiquitas, propono philosophantibus ueluti duces, & magistros. Sed tanquam philosophorum reges constituo Platonem, et Aristotelem. Aristotelem tamen in primis ut sequantur, hortor, idque ob ordinem, ob proprietatem uerborum, & ob copiam multorum præceptorum, quibus ipse artes constituit, atque disposuit. Si quis autem compendijs doctorum hominum, qui hac ætate scripserunt, delectetur; non uitupero: tantum moneo, ut animaduertant, quorum libros legunt, quorum omittunt. Reliquum est, ut cum de recta philosophandi ratione, ut adolescentium Venetorum studijs obsequerer, & doctorum uirorum hac de re, quæ ad me hoc tēpore maxime pertinet, iudicium elicerem, scripserim, ut admiratores antiquitatis, qui nihil statuunt scribendum, & philosophos magni nominis, quos obseruo, & in honore habendos iudico, uehementer rogem, studium meum ne reprehendant. Laudari ab illis non spero, quoniam non debeo: uituperari certè nolim. Quod quidem mecum ipse considerans, quo animo scripserim, me non despero consecuturum esse.

Finis secunda Pars.

PRAEFATIONES HABITAE VENETIIS PARTIM PVBLICE', PARTIM PRIVATIM,

Ab Augustino Valerio Episcopo Veronae,

Dum ibi philosophiam profiteretur.



IVBET Senatus, ut post Clarissimos uiros, qui in hoc munere summa cum laude uersati sunt, ipse munus interpretandi Aristotelem suscipiam: quo iussu, uel potius praeclarissimo de me iudicio nihil mihi hac aetate accidere poterat honestius, nihil iucundius: Nam si studio, labore, & diligentia id efficiam, ut aliqui philosophiae amore accendantur, hoc est accendantur ad cognitionem pulcherrimarum rerum, & ad honestatem, ego etiam aliqua ex parte consulam reipub. & incredibilem uoluptatem sententiam. Itaq; philosophiam uobis propono matrem benedictorum, & rectè factorum, reginam liberalium omniū artium, quae cōplectitur cognitionem humanarum, & diuinarum rerum, qua mortem meditamur, hoc est rationi obtemperantes sine cupiditate uiuimus, qua demum Deo optimo maximo, quantum infir-

nitas humana patitur, similes euadimus. Hanc amandam, hanc amplectendam uobis propono, uobis in primis optimi adolescentes, qui administratores huius reipub. aliquando futuri estis. Hanc.n. si amplexi eritis, iucundissimam uitam, & dignissimam homine agetis, & optimè institutam rempub. (quod maximè uobis studendum est) filijs uestris relinquetis. Philosophiæ nomen, quanquam eius origo antiquissima est, Pythagoras inuenit, qui, numeris, & obscuris quibusdam ænigmatibus scientiam rerum tradebat. Secuti sunt Democritus, Heraclitus, Empedocles, Anaxagoras, Leucippus, & multi alij, qui carminibus rerum causas docere studuerunt. Mox Plato, summa rerum cognitione, & admirabili eloquentia præditus, suis Dialogis reliquorum omnium gloriam obscurauit. Qui cum ab Aristotele uiginti annos sit summa diligentia auditus, discipulum instituit, qui (ut omnes uiri docti iudicant) doctrina, et gloria, uel superior fuit, uel saltem æqualis, cuius celebritate nominis factum est, ut imminuta, aliqua ex parte, Platonis gloria, Aristotelem ferè omnes summum philosophum prædicauerint, & sint admirati. Hunc ueteres, hunc proximæ ætates, hunc nos in manibus semper habemus, & ita suspicimus, ut qui eum non legerit, eruditum satis hominem non iudicemus. Diuinum ingenium, acerrimum iudicium, ordo admirabilis, multiplex, & planè infinita pulcherrimarum

rerum

rerum cognitio, quæ omnia fuisse in Aristotele animaduertimus, tantam ei apud omnes gentes existimationem compararunt. Sed nihil fortasse magis pertinet ad eius gloriam, quàm quòd præclara omnia ingenia, quæ post eum floruerunt, ipsum interpretando, & commentarijs explicando, quasi fons esset cognitionis, prodesse hominibus studuerunt. Eudemus primum, & Theophrastus, eius discipuli, deinde Porphirius, Alexander, Ammonius, Themistius, paulò post Simplicius, Philoponus, Eustratius, & multi alij græci homines explicare Aristotelis sensa, & admirabilem ordinem ostendere nixi sunt, qua ex re cum in studiosos optimarum Artium beneficium contulissent, magnam laudem sunt consecuti. Transiit aliquo temporis spacio (quæ rerum uicissitudo est) philosophia ad Arabes, homines ingenio præstantes, et admodum diligentes, inter quos extitit Auerroes, qui cum omnia Aristotelis opera diligentissimè euoluisset, in singulos libros scripsisset commentarios, commentatoris Aristotelici nomen est consecutus. Fuit ille uir tanto in honore, iacentibus græca, & latina lingua, ut non minus diligenter eius commētarij, quàm Magister Aristoteles, exponerentur. Post uerò barbaris etiam irruentibus, nouum, acutum, & minimè contemnendum philosophandi genus exortum est, quod potissimum in dubitationibus est positum, quo in genere, incredile dictu est, quot,

& quàm præclara se exercuerint ingenia. Laudabilis quisque in genere suo, cognoscamus modò sententiã Aristotelis, parum refert id ex Græcorum elegantissimorum scriptorum libris, an ex Auerrois docti, & diligentis hominis commẽtarijs, an potius ex acutorum ingeniorum crebris dubitationibus assequamur. Sed quoniam non solum ad Aristotelis sensa percipienda nati sumus, sed legendæ sunt historiæ, legendi Oratores, administranda uobis etiam est Respub. & demum in sacra Theologia, ueluti in portu est acquiescendum, considerare debemus diligenter, qua uia facillimè assequamur quod cupimus, meo quidem iudicio, nec facilis, nec maiore nostra cum uoluptate, Aristotelis sententias cognoscemus, quàm si græcos interpretes adhibuerimus, nec adeò contemnendum dico Auerroem, cuius ingenium, & doctrinam magnifacio, imo cum inter se dissentiunt Græci quod aliquandò accidit, uel cum ille uir nouam aliquam interpretationem affert, eum consulendum existimo. Verum tot præclarissima ingenia quæ proximis ætatibus, philosophiàm coluerunt, erunt ne prorsus nobis infructuosa? minimè id quidẽ sed Succus ille prudẽntiæ, & condimentum rerum omnium iudicium adhibendum est, nimirum ut dubitemus de ijs quæ perspicua non sunt, quatenus oportet, ubi oportet, idque breuiter, & dilucidè; ut paucis sententiam meam habeatis, Aristotelis sententias conabor dilucidè exponere,

tiere, Græcos potiſsimum interpretes adhibebo, Auerrois ſententiam multis in locis explicabo; dubitabo cum res aliquid obſcuritatis in ſe habere uidebitur, in quæſtionibus nobiliſsimis afferam Platonis ſententiam, diſſentiant ne inter ſe ſummi philoſophi, & ſi diſſentiunt, qua in re diſſentiunt conſiderabo, deinde quidquid repugnare uideri poſſet Chriſtianæ pietati, quam colimus, & uerisſimam eſſe prædicamus, id confutabo, qua in re Beatus Thomas Aquinas, magno mihi erit uſui, uir.n. ille non minus præſtantia ingenij & doctrina, quàm morum ſanctitate, & uitæ innocentia admirabilis, omnia quæ in philoſophia ambigua ſunt, ad meliorem, hoc eſt, Chriſtianum ſenſum traduxit, quem uirum, qui cum græcis, tum philoſophis, tum Theologis eſt conferendus, utinam imitarentur quidam, qui ſummi philoſophi uolunt haberi, non .n. ſe germanos Ariſtotelis exiſtimarent, quòd Mundũ æternũ, animos interituros pugnaciſsimè defendũt, ſed potius philoſophiã modeſtè profiterentur, ſine ulla contentione, ſine ulla oſtentatione ingenij, eaq; ueluti miniſtra (ut ſanctiſsimus uir fecit) uterentur, ad uerũ (hoc eſt) Chriſtianam philoſophiam aſſequendam. Hanc rationem interpretandi Ariſtotelis ſemper probaui, hanc adhibebo (niſi ſecus uobis uiri ſapientiſsimi) uideatur. Quod autem attinet ad loquendi rationem, nulla ornamenta exquiram; hoc unum ſtudebo, ut ſi non eleganter, ſaltem latinè

Ariſto-

Aristotelem loquentem audiatis. Reliquum esset, ut uos (optimi adolescentes) hortarer ad hæc studia philosophiæ, qua in re, nemini deesse potest oratio. Inuitant uos maiores uestri, qui in omni uirtutum genere excelluerunt, ad labores suscipiendos; Flagitat uniuersa Resp. ut uobis ipsis ista ætate consulatis, discatis uos etiam è uisceribus philosophiæ, iustè, & moderatè, more maiorum administrare Remp. Quare superuacanea esset omnis hortatio. Ego potius uos rogo, ut iudicium quod de me est factum; humanitate, & diligentia uestra confirmetis. In hoc munere, ingenium, doctrinam desiderabitis. Non solum ex hoc loco, quod mihi à Senatu mandatum est, sed domi etiam familiariter obsequar studijs uestris, nec mihi quidquàm erit antiquius, quàm summo studio contendere, ut crescatis huic optimæ Reipub. præstantes ciues, neque .n. alia ratione à me, pro tam præclaro iudicio, Senatui gratias haberi posse intelligo. Hæc pauca, hoc die, quem honestissimum semper putabo, dicenda iudicaui, quæ (utinam omnia non iudicentur indigna) quæ in tanta sapientissimorum hominum frequentia dicerentur.

Præfatio in libros de uita, & moribus, Aristotelis.

Aggredimur philosophiam explicare, de uita, & moribus, decreto Senatus, ut munus nostrum, (quantum in no-

in nobis est) exequamur, nobilissimam nimirum scientiam, moderatricem humanae societatis, iucundissimam sociam huius uitae. Ortum, & incrementum huius philosophiae, quam fructuosissimam possessionem, & pulcherrimum Dei donum putamus, primum explicabo, deinde totam ei materiam subiectam. Vltimo loco meum uobis, de ratione librorum Aristotelis interpretandorum, consilium aperiam. Cum Mundo ipso non multo post primi parentis Adae praeuaricationem ita disponente, & adiuuante optimarum, & pulcherrimarum rerum omnium auctore Deo, orta esse semina nobilissimae huius scientiae iure quis existimauerit. Nam ubi primum communio quaedam & societas extitit, Iustitia ad eam societatem tuendam opus fuit, quae ducem necessario Prudentiam habuit, quae ei praescripsit rectam rationem agendi. Inde crescente mortalium multitudine, cum Ambitione quadam hominum generi insita, iniuria, & contumelia orta esset, fortitudinem nasci oportuit, quae communem omnium salutem defenderet, & ne mortem quidem, pro defensione amicorum formidaret. Ex uarijs fructibus terrae, testimonijs benignitatis diuinae erga nos, praua ingenia occasionem coeperunt deprauandi seipsa, unde ortae sunt illecebrae uoluptatum, a quibus qui abstinere didicerunt, continentes, & Temperantes sunt dicti. Cum autem propter hominum cupiditatem ad res communes, mul

ti ani-

ti animum adiecissent, & quidam partim ui, partim industria, partim astutia, multam partem sibi sumpsissent, & unicuique priuatim aliquid posside re permissum sit; orta est liberalitas, cum illi qui plura possidebant, alijs possessiones suas communicabant. Postquàm autem potentiores homines sunt facti, uirtutes aliæ extiterunt, nimirum magnificentia, & magnanimitas, quæ in cogitandis, & donandis magnis rebus sunt positæ. Sic paulatim creuit philosophia de moribus, crescente hac (ut ita dicam) orbis terrarum immensa Repub. Verum.n. uerò cum præstantes aliqui homines, præclarum hoc animal hominem, ad Societatem tuendam factum esse intelligerent, uiderentque uti sermone; uti etiam consuetudine aliorum hominum, nomina indiderunt quibusdam uirtutibus. Nam eum, qui sermone neminem falleret, ueracem appellauerunt. Qui erat iucundus in consuetudine, & sermone hominum, comem, & affabilem dixerunt. Qui autem hominis commodis non minus consulebat, quàm suis; & amabat aliquē, illius tantùm quem amabat, causa; Amicus dictus est. Hæc philosophiæ moralis semina quæ ortum ducunt à natura, & ab humana societate, multi excoluerunt, quorum libros non habemus. Harum omnium uirtutum specimen, in primis illis patribus Deo gratis, Abrahamo, Iacob, Mose, Noe, Dauide fuisse, facillimum esset, ex sancti Ambrosii libris ostendere sed

de his

de his alio loco. Cicero uir non solum eloquens, uerum etiam grauissimarum rerum scriptor scripsit primum Socratem philosophiam è cœlo in priuatas domos euocasse, quod affirmari ab ipso potuit, qui uetustos, & sacros libros non legerat. & profectò Socrates tum scientia, tum maximè uitae exemplo inter Graecos praestantissimus uir est habitus. Nam ab eo ueluti à principe, & omnium magistro, deductae sunt multae (ut ita dicam) familiae philosophorum; quae, etsi aliqua in re discreparunt; consenserunt tamen in hoc, ut magnifaciendam uirtutem affirmarent, uitia fugienda. Omissis caeteris, hae potissimum philosophorum familiae floruerunt, Academicorum Peripateticorum, & Stoicorum; nam Epicuri sententia, quamuis sectatores habet multos, ignobiles illos quidem, & molles homines; tamen praeclaris ingenijs contemptui semper fuit. Philosophiae moralis semina quae Socrates renouauit, & sparsit in uniuersa Graecia, mandata literis sunt ad usum omnia à Platone primum eius discipulo, tanta cum grauitate, & tanta cum uerborum suauitate, ut illos dialogos legentes, quibus Socratem de moribus facit loquentem, non minus Socraticos mores admiremur, & Platonicam eloquentiam, quàm ad omnes uirtutes accendamur. Xenophon non minus gratus, erga praeceptorem Socratem discipulus, quàm Plato in suis libris, nomen Socratis, socraticamque philosophiam illu-

ſtrauit. Zeno, & ſtoici omnes, ut monumenta literarum teſtantur, non minorem honorem Socrati tribuerunt; quorum eruditi libri, multi iniuria temporum, non peruenerũt ad manus noſtras. Vnus Epicteti peruenit ad nos; libellus quidem paruus, ſed magni; & quo benè uiuendi ratio traditur. Ariſtoteles uero qui ad docendum omnes mortales, et ad obſcurandam philoſophorum gloriam uidetur natus, quæ à Socrate, quo, triennio uſus eſt magiſtro; item quæ à Platone, homine planè diuino acceperat, ordine illo ſuo admirabili quo inter omnes qui unquàm fuerunt, excelluit, adhibito; opus ſcripſit de morali philoſophia ita præclarum, ita admirabile, ut nihil quidquam ab homine, cui Chriſti Dei myſteria cognita non fuerint, nec præclarius, nec admirabilius ſcribi potuerit. Poſt hunc non defuerunt, qui hunc ipſum locum de moribus, tractauerint, inter quos fuit Cicero, uir eruditorum hominum iudicio, & prudens, & admodum doctus, qui, dialogis, tum Tuſculanas quæſtiones ſcribens, tum de finibus bonorum diſputans; perpetuo ſtilo etiam orationis filium inſtituens, uberrime, magna eloquentia uidetur philoſophiam moralem tractaſſe. Plutarchus poſtea grauiſsimus ſcriptor, alio ſcribendi genere, nẽpè opuſculis quibuſdam, ad amicos familiariter ſcriptis, nõ ſolũ in domos priuatas (quod de Socrate dictum eſt) ſed in aulam etiam Principum, philoſophiam uidetur deduxiſſe; ita ille u.r

minutas quasque res persequitur; easque illustrat exemplis, ex historijs sumptis. Demum Seneca, homo planè stoicus, aculeis quibusdam deterrens homines à uitijs, & accendens ad uirtutem, Morali etiam philosophiæ uidetur aliquid addidisse. Quid ergo? laudandi sunt uehementer omnes scriptores quos commemoraui; multum.n.industria sua profuerunt hominibus, idemque omnes spectauerunt nempè ut præcepta benè uiuendi eorum opera cognoscerentur, & custodirentur. Quis Platonem, de Iustitia, de Prudentia, de Temperantia, de reliquis uirtutibus disserentem non uehementer diligat, non amplectatur, non admiretur? Quem Xenophontis socratici sermones inimitabiles illi quidem, non ualde delectent? Quis est tam barbarus cui polita illa, & planè Senatoria philosophandi ratio, quam adhibet Cicero non maximè probetur? Cui uerò opuscula Plutarchi, in hac communi, quotidianaque uita, magnum usum non afferunt? Demum quem non moueant Stoicorum, Epicteti, & Senecæ sanctissima præcepta? Vt ego quidem existimo laudabilis, & maximè quidem laudabilis, unusquisque eorum quos commemoraui in genere suo est. Sed profectò, hac etiam in Philosophiæ parte tractanda, maior Aristoteli quam reliquis omnibus honor est habendus. Nam quamquàm illi quidem omnes præclarè omnia, tamẽ nullus absolutam scientiam nec inuenit, nec tradidit. Semina sunt sparsa in eo-

rum libris; in libris Aristotelis tota ciuilis scientia traditur, tanto ordine, tanta copia sententiarum, tanta demum proprietate uerborum, ut nihil perfectius scribi posſit, liceatque nobis affirmare Aristotelem ciuilem scientiam ordine cõscripsisse, post eum uerè nihil quod ad eius scientiam pertineat esse inuentum, mutatum esse solum genus scribendi, addita exempla; idque pluribus uerbis ad usum eorum qui Aristotelem non legissent. Verum non desunt qui Aristoteli hac in parte aliquid detrahant, quòd non flectat animos, nullo in loco hortetur, & accendat ad uirtutem, uel deterreat à uitijs; qua in re mirabiliter excelluerunt Plato, Xenophon, Cicero, & Seneca. Quibus sic respondendum existimo Aristotelem non senis, & amici familiariter cum minoribus ætate disserentis (ut ij quos dixi fecerunt) personam gerere uoluisse; Sed personam præceptoris humani generis, & naturam rerum quæ in actione sunt positæ explicantis. Quam personam dum sustinet, uirtutumque singularum descriptionem, & proprietatem, proprijs uerbis affert, summam pulchritudinem ostendit, quam ubi antè oculos positam habemus, satis per nos accensi, & inflammati sumus ad uirtutes ipsas consequendas, & ad mortem (si opus esset) oppetendam. Et hæc de ortu, & incremento Moralis philosophiæ satis dicta sint. Secundo loco propositum erat, proponere uobis materiam subiectam

totius

totius philosophiæ moralis (hoc est) explicare quibus in rebus moralis philosophus uersetur; quod quidem ut faciam commodius, exordium altius sumendum est. Præclarum, & planè diuinum animal homo, ad contemplandum, & agendum natus, dum hac luce fruitur, & in societate uersatur; nihil quærit aliud nisi ut naturam suam perfectiorem quàm potest, reddat, tum contemplando, tum agendo. Omnis autem contemplationis perfectio, & finis est Veritas; omnium autem actionum perfectio, & finis est Bonum, summumque, et ultimum bonum, quod fœlicitas, siue Beatitudo dicitur. Vtrunque Aristoteles comprehendere conatus est. Nunc nos de ea parte quæ uersatur in actionibus, cuius finis est Bonū; & quā philosophia moralis complectitur, agamus. Nullum est maius bonum in orbe terrarum, nec optabilius, communione, & societate hominum ritè legibus instituta. Ab hoc.n. ueluti à quodam fonte fluunt reliqua omnia bona; Iustitia, Temperantia, fortitudo, liberalitas, Comitas, Mansuetudo, Amicitia; hæque omnes uirtutes uicissim ad illud bonum commune, siue publicum referuntur. Quare finis ultimus in rebus agendis est, optimè constituere Rempub. uel saltem, optimè institutam administrare, & conseruare, ad quam administrandam primum educatione multum erudimur; ad conseruandam uerò usus multarum rerum situs in primis cognitio nos adiuuat. aliò enim modo

conseruatur maritima Vrbs, alio modo terrestris; sed quoniam contrariarum rerum eadem est disciplina; idcirco non solum quale sit optimum Reipub. genus; sed quale sit minus bonum, quale non bonum, quale demum pessimum considerare prudens homo debuit; & quoniam nihil firmum est in rebus humanis; omnia mutantur, & facilè; mutationis, & conseruationis causas Rerumpub. sapientis hominis fuit indicare; nempe ut discamus è Repub. uitia tollere, & uitemus pericula, quibus optimus status possit mutari. Cum uero Rempub. dicimus; communionem ciuium intelligimus; ita ut sit necessarium scire quid sit Ciuis, quidque sit Ciuitas; quae cum pagis constituatur; pagi uerò familijs, & domibus; in domibus autem sit ordo, & instrumenta tum animata, tum anima carentia; necessariò quid Ciuitas sit, quid Ciuis, quid pagus, quid familia, qui domini, & quale eius imperium, quae demum possessio sit animata, quae anima carens necesse fuit explicare; porrò autem homines familiam, & Rempub. gubernant; quare quale sit munus hominis, qualis eius uirtus; qualis demum eius foelicitas, et quae foelicitatem consequantur explicandum fuit, quae dubitari oportuit, magis ne esset constituta in contemplatione, quàm in actione. Sed cum foelicitas; quam docere in his libris est propositum, in actione animi secundum uirtutem in uita perfecta sit posita, quae cùm augeatur bonis externis; de Amicitia quod maximum

bonum

bonum est in bonis externis, deq; uirtutum omnium genere agentium per se; de contemplantium uerò intellectu, sapientia, scientia, prudentia, & Arte, quoniam agentibus conferunt, disputare necesse fuit. Item de partibus animæ ut intelligatur. cuius animæ partis actio sit uirtus, de uoluntario, & inuoluntario, ueluti rebus utilibus ad uirtutes cognoscendas. Et quoniam non solum ad cognitionem rerum satis est cognoscere essentiam, sed differentiæ uirtutum inter se, & proprietates uniuscuiusque sunt animaduertendæ, ideò uirtutum omnium, tum earum quæ in perturbationibus sedandis, tum earum quæ in actionibus uersantur, proprietates tradere necesse fuit. Qua in tractatione, cùm uerissimũ illud sit, cõtrariorum eadem est ratio, tradita est cognitio omnium uirtuti oppositorum, quæ disputationes institui non poterant, nisi in uniuersum quid esset uirtus, quid mediocritas in qua est posita, quid extrema, quæ uitia sunt, esset declaratum. Sed fundamẽtum omnium harum disputationum fuit hominis fœlicitas, quæ si nulla sit, atque inane tantum sit nomen, ne definiri quidem potest, nec definitionis partes necesse fuit declarare. Disputatio igitur, an fœlicitas humana (hoc est) an ultimum aliquod bonum sit hominis pernecessaria statim ab initio fuit, atque ab hac Aristoles initium sumpsit moralis tractationis. Itaq; inuenta uniuersa materia, ex notione finis eam disposuit, & tradidit. Ac

primum

primum ſequens naturæ ordinem, hominem inſtituit, deindè de re familiari, poſtremò de Rep. optima diſputauit. Nunc totam materiam librorum Ethicorum, quo ordine ab ipſo Ariſtotele eſt diſpoſita, explicabo, deindè ſuo loco de alijs partibus. Primum diſputauit an fœlicitas hominis ſit, tum demum aliquod homini bonum eſſe, philoſophi moralis eſſe diſcere, quid illud ſit, quo probationum genere uti poſſimus in hac ſcientia, quique legitimi ſint auditores docet. Secundo loco (more ſuo) affert philoſophorum ſententias, de ſummo bono, quibus confutatis definitionem conſtituit quam libet commemorare, ut clarius ordo appareat. fœlicitas eſt actio animi ſecundum uirtutem in uita perfecta; dicit eſſe uirtutem, quam definit actionem ex electione, in mediocritate poſitam; quare de partibus animæ, pingui quadam Minerua, de mediocritate, deq; extremis diſſerit in ſecundo, in tertio de uoluntario, & inuoluntario, ac uiolento, tanquam de rebus ad uirtutem pertinentibus, deindè de fortitudine, eius proprietatibus, uitijſque oppoſitis, ac de quinque generibus ſimulatæ fortitudinis, demum de Temperãtia, proprietatibus eius, & uitijs oppoſitis. Quartus liber tractationem de liberalitate, de magnificentia, de magnanimitate, de manſuetudine, de affabilitate, de ueritate, ac de comitate, demum de Verecundia, earumque omnium proprietatibus, & extremis continet. Quintus totus eſt de Iuſtitia, & de

Iniuſti-

Iniustitia, in sexto de uirtutibus contemplantibus, ut integrum nomen uirtutis, quod potissimum in definitione fœlicitatis erat traditum explicaret, tùm maximè, ut quid sit recta ratio, quæ in definitione uirtutis est posita cognosceremus. In Septimo de Continentia, quæ quidem digna nomine uirtutis non extimatur, & de uirtute heroica, eiq; oppositis ferinis uitijs agit. Octauus, & nonus de Amicitia sunt; qua in re, & Præceptorem Platonem superauit, & nihil illis qui post eum nati sunt, ne Ciceroni quidem eloquentissimo homini reliquit, quod possint addere. Decimus de uoluptate agit, quæ sequitur beatitudinem, ut umbra corpus, deque comparatione beatitudinis, quam agentes consequi possumus cum ea, ad quam ex contemplatione peruenimus; & hæc summatim de materia subiecta librorum decem Ethicorum. Reliqua omnia, nimirum de domibus, de familijs, de possessionibus animatis, ut de seruis, & pecudibus, deque anima carentibus, de agris, et de omni ratione acquirendæ pecuniæ, ac de pagis in primo libro Politicorum, qui fortassè idcircò connectitur cum libris Ethicorum, quoniam disputatum est de re familiari, quæ tamen ad Remp. refertur. Secundus errores Rerumpub. illustriũ quæ floruerunt, explicat. In Tertio de Ciuitate, ac de Ciue; in quarto, quinto, sexto, copiosè disputat, de uarijs formis Rerumpub., deque mutationibus, conseruatione, & interitu earum. Septimus, &

octauus formam optimæ Reipub., situm Ciuitatis, in qua sit domicilium, & educationem Ciuium docet. Hæc tantùm attigi, tùm ut Aristotelicum ordinem cognosceretis, tum maximè ut præstantia, & uarietate rerum, quæ in his libris continentur, adhuc magis (si fieri potest) moralem hanc uel potius ciuilem nobilissimo homine dignam philosophiam diligeretis. Quam (optimi adolescentes) (quod tertio loco, uobis esse aperiendum sum pollicitus) hac ratione uobis explicabo, ut sententiam Aristotelis uobis primùm exponam dilucidè, nexum orationis indicem, locos ex Platone, quos sumpsit, afferam, quos autem locos Cicero ab Aristotele sumpsit eos commemorem, ut discatis uos etiam eloquenter, & Senatoriè (ut ita dicam) philosophiam tractare: postremò quoniam exemplis illustranda sunt præcepta de moribus, quibus certè incredibiliter mouemur, omissis magna ex parte ueterum græcorum, & Romanorum exemplis, adhibebo exempla Venetorum patrum nostrorum ut domestica etiam uirtute, ad hanc philosophiam (hoc est) ad honestatem accendamur, nec quisquam sibi persuadeat cùm cognoscit quid sit summũ bonum, quid uirtus, quid singulæ uirtutes, moralem philosophiam esse adeptum; honesta actione, non una illa quidem, sed crebris, et multis, quæ ab habitu proueniant, opus est; si uirtute aliqua nos ipsos ornare uolumus, ut cum qualis sit beatitudo, quæ sit uirtus,

quot

quot genera uirtutum cognouerimus, ad beatitudinem per uenire contendamus, & ex uirtute nitamur uiuere, quod si faciemus, iucundissimam uitam, & dignissimam homine agemus; æqualibus grati, senioribus iucundi, Reipub. utiles erimus. In hoc tutissimo itinere, quo etiam ducimur adbeatam æternamque uitam solent esse in primis hæc impedimenta, illecebra uoluptatum, & Ambitio, à quibus cauendum nobis est. Cauebimus autem, si multum studium, & multam diligentiam in rerum causis cognoscendis ponemus; si extrinsecus non pendebimus, si demum incontinentium consuetudinem uitabimus, & ad imitationem optimorum hominum nos conferemus; & (ut paucis omnia complectar) si proposita antè oculos habuerimus exempla omnium uirtutum, quæ nobis reliquerunt maiores nostri; certè ad omne decus, & ad omnem honestatem, studia nostra conferemus, & ostendemus orbi terrarum priscam Venetorum uirtutem singulis ætatibus renouari.

Præfatio publicè habita Anno. M. D. L I X.

Iure optimo ex hoc loco philosophia est laudata, quã (ut facilè ĩtelligo) iã uehemẽter amatis. Eius autẽ comites, et ministras si cupitis cognoscere sic habetote. Philosophiæ comites sunt ueritas, modestia, mãsuetudo, facilitas, huma

nitas, externarum rerum cōtemptus. Ministræ, Grammatica, Poesis, Rhetorica, sed maximè omnium Dialectica. Hoc ipsum quod dico, Plato, Xenophon, Aristoteles, Plutarchus, & multi alij suis scriptis comprobarunt. Iure igitur Veneti adolescentes amatis altricem uirtutum, matrem laudabilium rerum, Artium, & scientiarum omnium reginam Philosophiam. Cuius ortum, iterum atque iterum considerate; indicat enim ipsius nobilitatem, & uos magis ad ipsius amorem excitabit. Naturæ siue potius Dei duo amplissimi sunt libri, ex quibus (ut sapientissimus uir dicebat) eruditi, & ineruditi singulis diebus multa discere, & Deum aliqua ex parte possunt agnoscere. alter est, magnus quem uidemus Mundus; alter paruus mundus, magni simulacrum, nempè homo. Cœlum tot luminibus distinctum; Elementa quatuor, discordia admirabili inter se consentientia, stirpium, metallorum, animalium tot genera, formis, proprietatibus, uirtutibusque uarijs differentia declarāt summis ingenijs sapientiam, potentiam, et bonitatem Dei. Admirabile hoc animal homo, alendi, generandi, sentiendi, recordandi, cogitandi, & demum intelligendi facultate præditum, tot instrumentis ad uitæ conseruationem, tot præsidijs ad regendum seipsum, & ad administrandum hunc Mundum adiutum, eandem quam dixi potentiam, sapientiam, & bonitatem Dei Docet. Quam potentiam, bonitatem, & sa-

pientiam in magno, et paruo Mundo expreſſam, cum admirarentur homines, deindè amarent, & quærerent; Regina philoſophia orta eſt, eiq; comites illas, & miniſtras, quas dixi, adiunxit ſtatim moderator, & rerum omnium Deus. Cum autem auditis nonnullos incultam, & horridam, magiſtram contentionis, & ſeruam inanis gloriæ philoſophiam appellare; nolite exiſtimare (optimi adoleſcentes) illam quam deſcribunt, eſſe ueram hanc quam uos amatis, & nos profitemur, philoſophiam. Adumbrata illa, & falſa philoſophia eſt, quæ utinam non haberet ipſa etiam amatores ſuos. Paucos certè habet amatores in hac Ciuitate, pauciores in dies; breui etiam (ut ſpero) nullos habebit. Quis.n. ſorores illas quæ eam ſequuntur, altercationem, impudentiam, Ambitionem non reformidet? Quis egeſtatem illam, uel potius mendicitatem ſententiarum, & uerborum, qua premitur, non fugiat? fugienda eſt certè ſimulata philoſophia omnibus, uobis in primis qui nunc filij huius optimæ Reip. paulòpoſt etiam adminiſtratores eſtis futuri. Nullum illa uſum affert Ciuitatibus, in Inuidiam potius, & in ſuſpicionem impietatis adducit admiratores ſuos. Virgo hæc, & Regina humanarum artium quam amatis, & quam nos in nobiliſſima Ciuitate, et optima Repub. profiteri honeſtiſsimum putamus, hæc pollicetur hæc præſtat, ſi ingenium nacta ſit, quale ſæpè Venetijs oriri ſolet idoneum; Affert uti

litates

litates maximas singulis Artibus, nam earum principia magna ex parte constituit, uarietate sua parit iucunditatē incredibilem, admirabilium rerum principia, causas, ordinem explicans, excitat nos in admirationem, & amorem Dei, qui amor est radix sapientiæ, & bonarum omnium rerum. iubet ut cognoscamus nosmetipsos, quæ cognitio quis non intelligit, quàm sit salutaris? tradit documenta, quibus nos ipsos, familiam, & Ciuitates regamus. demum hæc ut dixi regina humanarum omnium Artium, & scientiarum, Theologiæ ueræ sapientiæ matri seruit, eiq; tradit rationes multas, quibus uerissimæ illæ sententiæ de prouidentia Dei, & de rebus externis contemnendis possunt confirmari; sed requirit omnino ingenium idoneum. Plato eximius eius cultor, ingenium acutum, modestum, humanum, ueritatis studiosum, idemque beneficum; philosophicum (hoc est) aptum ad philosophiam percipiendam dixit. Cuiusmodi cum pleraque semper floruerint in hac Vrbe, & nunc etiam multa inueniantur; Spero (optimi adolescentes) nos id studio esse consecuturos, ut ueræ, & non simulatæ philosophiæ amatores habeamur. De ijs periculis quæ maxima imminent præstantissimis ingenijs; & de insidiatoribus adolescentiæ, sophista, & uulgo, admonui uos inter domesticos parietes, & aperui ferè omnes insidias, quibus animal imperitum, ignobile, & perniciosum uulgus, itemque sophista, animal superbum,

perbum, arrogans, & contentiosum, utuntur ad præclara ingenia corrumpenda, eadem uero ex hoc loco repetere, præsertim cum adsint ij qui hortationibus nostris non egent, superuacaneum, & molestum uideretur. Ab ijs periculis (ut spero) liberabit uos pater, & princeps rerum omnium, cui hæc Respub. curæ est, Deus, & ego hortationibus meis nunquàm uobis deero, nimirum quando rationibus studiorum uestrorum parum possum, docẽdo consulere, saltem uobis consulam rectam uirtutis, & laudis uiam præmonstrans, & ponens uobis antè oculos pericula, in quæ magno cum Reipub. detrimento, & uestrorum ingeniorum pernicie possitis incidere. Sed quid ago hodierno die, audientibus multis doctissimis hominibus? Philòsophiam certè laudare non est propositum, nam est (ut dixi) nuper laudata, nec hortor uos ad eam amplectendam, nam uestrum ego ardorem noui. Quid igitur ago? Veram philosophiam à simulata distinguo. Diuersus comitatus. Hæc acumen, modestiam, facilitatem, humanitatem, indagationem ueritatis, & rerum externarũ despicientiam, comites habet. Illa pertinaciam, impudentiam, morositatem, rusticitatem, ostentationem, ambitionem, & diuitiarum admirationem. huius ministræ, liberales omnes Artes; illius, importuna audacia, & concitatus strepitus uerborum. Aliud hæc, aliud illa requirit ingenium. Vera philosophia est iucundissimum uitæ solatium,

latium, explicat magnos illos, & admirabiles naturæ libros, & magistra benè uiuendi; seruit demum Theologiæ (hoc est) magistræ humanæ salutis. Peruersa philosophia est solicitudo animi, ambitiosorum hominum argutias tâtum docet, innumerabilium librorum lectione premitur, simultates, & inimicitias parit, sibi omnia tribuens, cum turpe sibi putet Theologiæ seruire, odiosa est bonis omnibus, & admodum ignobilis existimatur. Quanquàm optimi Adolescentes, ut superiore loco dixi falsa, et fucata philosophia penitus ferè ex hac Vrbe est eiecta, & paucissimos adhuc habet sectatores, non fuit tamen inutile (ut opinor) discrimen explicare, nimirum ut intelligatis uos scientiam pulcherrimam, & nobilissimam diligere, & accusationes quæ in falsam philosophiam iure conijciuntur, ad uos ueræ philosophiæ amatores non pertinere. Sed utinam, ut in hac Ciuitate ferè omnes hoc discrimen agnoscunt; ita ego cui munus docendi ueram philosophiam est traditum, tantum onus possim sustinere. Iudicium requiritur maximum, requiritur acumẽ ingenij, quod maximè cernitur in disputando, requiritur multiplex doctrina, & cognitio liberalium omnium Artium. Non satis est, Aristotelis sensa explicare, quod quidem difficillimum putatur, sed diligenter cum eius sententijs, aliorum philosophorum sententiæ, Platonis in primis conferendæ sunt; demum quidquid dicitur, explicandũ est perspicuè,

ſpicuè, & ſi fieri etiam poteſt non ineleganter. Quæ omnia cum conſidero, conſiderare autem ea ſæpe, neque ſine animi ſolicitudine conſueui, onus uiribus meis impar, munus docendi philoſophiam cognoſco, idque ingenuè fateri, tùm priuatim tùm publicè (ut ſcitis) nec me puduit unquàm, nec pudebit. Quid igitur? deſperem ne ſtudijs ueſtris me aliqua ratione poſſe conſulere? fallam ne ego prorſus opinionem quorundam de me? Vt ſpero uobis omnino non ero inutilis. Non fallam omni ex parte, Senatus, & amicorum de me opinionem. Quem ordinem adhibiturus ſim in explicando Ariſtotele, dixi ſuperiore anno, ex hoc loco, quem ſi quiſpiam qui non adfuerit, cupiat ſcire; ego talem ordinem adhibeo, ſtudeo breuitati, et perſpicuitati. Sequor in primis Græcos explicatores. Diſſentiat à Platone Ariſtoteles, nec ne, iuuat conſiderare. Siquid in philoſophia Chriſtianæ pietati aduerſetur (ut Pontificum etiã decreta iubent) libenter auditores admoneo. Hunc ordinem adhibere, ſatis non eſſe iudico. Vobis familiariter ut cœpi; Ariſtotelis, & aliorum philoſophorum libros explicabo. Initium noſtrarum explicationum ſumemus hoc anno à rerum naturalium principijs.

Præfatio habita ſecundo anno in libros de moribus Ariſtotelis.

Superiore menſe Aprili aggreſſus ſum explicare li-

bros de moribus Aristotelis, & perueni antequam uacaremus, ad eum locum, ubi grauissimus ille scriptor, suam de humana fœlicitate explicat sentẽtiam; Hodierno die ad eundem locum reuertimur, quem antequam explicemus, necessarium esse iudico iterum considerare quid fœlicitas significet, & num uerè in hac uita quisquàm fœlix dici possit. Etenim uel minimus error in ijs quæ ad fœlicitatem cognoscendam pertinent, omnem benè uiuendi rationem peruertit. Multa, & uaria scelera patrata sunt, portenta hominum nõ pauca cum aliorum hominum pernicie Tyrannidem exercuerunt, insidiæ multæ uel amicissimis hominibus sunt structæ, ob eam potissimum causam, quoniã peruersæ de summo bono hominis, opiniones extiterunt, quibus ne animum imbuãt à primis annis Adolescentes, maximè cauẽdum est, & à Deo petendum, cauebũt autem, si, quæ uera sit beatitudo, quæ adumbrata, diuino beneficio cognouerint. Beatitudinẽ, siue fœlicitatem summum, atq; ultimũ bonũ hominis, summamq; ipsius perfectionem esse, inter omnes constat. Beatitudinem consequuntur tranquillitas, & pax animi; fideles eius ministræ, scientiæ, & perfectæ uirtutes sunt. Vbi solicitudo, ubi timor, ubi periculum, ubi pulcherrimarum rerum ignoratio, ubi demum aliqua animi perturbatio, illic uera fœlicitas esse non potest. Quoniam autem (ut dixi) fœlicitatis effectus est, tranquillitas; pessimus magister uulgus,

uaria-

uariarum, & perniciosarum opinionum inuentor, & sua sor, tranquillitatem nulla alia in re, nisi in rerum externarum affluentia constituens, cum uideret hoc animal hominem multa adiumenta, tùm ad uitam, tum ad uoluptatem requirere, opesque esse maximum instrumentum ad explendam libidinem, & ad popularem gloriam aucupãdam, ignobilis illius opinionis fuit auctor, fœlicitatem esse in diuitijs, miseram esse paupertatem. Quam sententiam facilè est euertere hunc in modum Mali aliquandò sunt diuites, nunquàm erunt beati. Diuitiæ facilè amitti possunt, non sic fœlicitas; opes aliquando acquiruntur fraude, fœlicitas labore. Agnoscitis absurdam esse sententiam, præsertim cum paucis minimisque rectè instituta natura contenta sit, & paupertas, eiusque soror sobrietas sit uiaticum ad scientias, ad uirtutes, ad ueram demum beatitudinem assequendam. Quid plura? Crœsum fœlicem, miserum Socratem, Crassum beatum, miserum Curium dicemus? id dicere (ut opinor) audebit nemo, nisi quispiam qui Auaritia cum auarissimis illis hominibus sit conferendus. Idem etiam magister uulgus cogitans, quantas utilitates, & suauitates secum afferat firma corporis habitudo, et quàm horribilis mors sit quàmplurimis, ausus est pronunciare assentientibus nonnullis, beatitudinem esse in ualetudine, et in robore corporis. Verum cum bona corporis, perniciem multis attulerint, omniumque ui-

tiorum genere inquinatos homines, nonnullos robustos, & formosos uideamus; qui ex robustis infirmi; ex formosis deformes fiunt; cogitemus num fœlicitas in bonis corporis sit constituenda; posſitq; ad bruta animalia, in quibus hæc bona insunt, pertinere. Miserum (ut alios omittam) Epictetum, cuius scripta admiramur, quòd esset claudus, & imbecillo corpore, audebimus dicere? Ego nunquàm id audebo, qui eius sanctiſsima præcepta (ut scitis) admiror. Quid lena illa naturæ uoluptas? in ea etiam non defuerunt qui beatitudinem collocarent, tum quoniam à natura quisq; uoluptate capitur, tum maximè quoniam cum doloris uacuitate coniuncta est. Voluptatem consequi fœlicitatem, non tamen quamcunque, negari non potest, ut tamen umbra non est corpus, sed consequitur corpus; ita uoluptas non est fœlicitas, sed fœlicitatem consequitur. Sardanapalum, & alios de grege Epicureo appello miseros, non beatos; & iurè quidem appello; cum.n. homines nati essent; inter pecudes esse, & numerari uoluerunt. Verum attendite quam opinionē pepererunt præstantiſsima ingenia, ab eodem tamen magistro uulgo instituta; beatos esse reges, & qui honores ampliſsimos consequuntur, rationes has afferunt, pulchrum est excellere, pulchrum de multis benè mereri, optabile esse in honore apud omnes, miserum contemni; ergo summum bonum est in honoribus. Scientiæ, & uirtutes ministræ uel potius an

cillæ

cillæ ſunt inanis gloriæ. Cogitent qui ita ſtatuunt; an ma lis unquàm patuerit aditus ad honores, an boni ſint præteriti, an amitti facilè poſsint, an demum tranquillitatem, an potius ſolicitudinem animi, cum qua, beatitudo eſſe nõ poteſt, inſignia ſplendoris afferant. Quòd ſi præteritis bonis, adulatoribus aliquandò, & aſtutis honores ſunt tri buti, ſi illos aliquandò, quos honoribus omnibus ornatos ui dimus, eoſdem paucorum dierum ſpacio, repulſas ferre, & nullo in honore eſſe uidemus; Si demum plerumque ui tam illorum qui alijs præſunt, moleſtam, ambitioſam, ſimultatis, & quærelarum plenam animaduertimus; nolimus per Deum immortalem, nos ipſos decipere, & temerè aſſentiri hominibus elegantibus illis quidem, ſed tamen ſectatoribus ipſius uulgi. Præſtantes autem ingenio uiri, magiſtram naturam ſequentes, & profanum uulgus contemnentes, à bonis corporis, & bonis externis quia cum malis communia ſint, & eis quiſque facilè abutatur, remo uerunt. Quidam autem admirantes uarias, & pulcberrimas res, quæ in hoc orbis theatro conſpiciuntur, ad quas cognoſcendas cùm unum animal hominem natum intelligerent, affirmarunt fœlicem eum eſſe qui potuit rerum co gnoſcere cauſas. Quod quamquàm eſt præclariſsimum, & ſuauiſsimum opus hominis, beatitudinem tamen hominis eſſe, uerè dici non poteſt, cum id humanis ingenijs uſu ueniat, ut quò plura diſcunt, plura cognoſcant ſibi eſſe diſcenda,

ſcenda, atque inde angor animi (ut ſapiens ille uir dicebat) oriatur. Ac per Deum immortalem quæ contemplatio ſiue cognitio, dum in hoc corporis carcere ſumus, et inſtrumentis tantùm ſenſibus, & ratione utimur, animos noſtros æternitatis cupidiſsimos, beatos efficiet? Elementorum, corporum imperfectorum, metallorum, ſtirpium, animalium, hominis, ſcientiarum, artium, quas ipſe excogitauit, uirtutum demum uariarum, quæ ad ſeipſum, ad alios, ad Ciuitates regendas, adhibentur; cœli demum, & ſyderum definitiones, ſiue deſcriptiones quædam, beatos homines reddent? Harum omnium rerum perfectam cognitionē in nemine fuiſſe iudico. Sed ponamus eſſe. Vbi tamen ſolicitudo eſt animi, ubi timor, ubi aliqua perturbatio, à qua nunquàm humana uita poteſt eſſe uacua; ibi uera fœlicitas eſſe non poteſt. Quarè non antea ingenuè ut dicamus, immortalis, & diuinus animus hominis, iurè beatus dici poteſt, quàm ex hac uita in qua tot fluctibus agitatur egreſſus, immortalitatis, & humanarum, diuinarumque rerum principium intueatur. Antequàm illuc perueniat non omninò, aliqua tamen ratione beatus dicetur. Hoc ipſum quod dico fortaſſe ſenſit uir planè diuinus Plato. Senſerunt certè doctiſsimi, & ſanctiſsimi homines, in primis. B. Thomas Aquinas in illo opere quo Theologiam uniuerſam, & ferè omnes res ſcitu dignas, ſummatim complexus eſt. Illum autem hominē quem uir-

tutum

tutum chorus comitetur, & in quo inprimis sit amor siue charitas ergà alios homines, quam radicem bonarum omnium rerum appellamus, quatenus in hac uita dici potest, fœlicem appellamus; idque præsertim si adsint bona corporis, & bona externa, quæ uiris bonis rectè agendi instrumenta sunt. Quod ad Solonem attinet, qui statuit, ante obitum, neminem appellandum esse fœlicem, quamquàm eius sententiam probo, non tamen ob illam potius causam sic statuendum iudico, nimirum quod magnis periculis hæc uita est exposita, quàm quoniam animus qui diuinus est, nisi in fonte æternitatis non potest acquiescere. Sed de his plura suo loco. Stoici contemptores uulgi, eiusque hostes acerrimi, unam uirtutem sufficere ad benè, beateq; uiuendum affirmant. Virtute præditos esse diuites, nobiles, robustos, reges denique regum. Aristoteles uir admirabili ingenio, cũ duas potissimum hominis actiones cognosceret, alteram qua cognoscit; alteram, qua seipsum, et alios regit; duplicem beatitudem constituit, sibique maximos usus inuicem afferre, nobiliorem esse tamen eam quam contemplatione, quàm illam quam actione consequimur in decimo huius operis ostendit. Magnifica Stoici, Aristoteles admodũ probabilia scripsit, seq; ad omnium ferè ingenia accommodauit, quamobrem est factum ut rectius de summo bono hominis sensisse Aristotelem, quàm reliquos omnes philosophos, ferè omnes

affir-

affirmēt. Accedit ordo admirabilis quē adhibuit in hoc opere ut in reliquis omnibus, accedit sententiarum copia, & elegantia uerborum, ita ut hoc unum opus de moribus frequentius, & libentius legatur quàm reliqui omnes libri scripti de moribus, & non immeritò. Itaque amate (optimi Adolescentes) hoc opus uerè Aristotelicum; legite, & audite diligenter hos libros. Virtutum descriptiones, et proprietates cognoscentes, discetis amare uirtutes, & pro eis comparandis, uel maximos labores subire; discetis etiam fugere uitia, & occasiones quibus in ea possitis incidere; fœlicitatem Aristotelicam, quamuis minimè perfectam illam cognoscentes, excitabimini ad ueram beatitudinem quærendam. Sed iam quod initio proposuimus, Aristotelis sententiam de humana fœlicitate incipiamus explicare.

Præfatio in Cebetis tabulam.

Philosophiam medicinā animi appellarunt docti quidam homines, & rectè; nam ut uarijs morbis in quos mortales incidimus, multa, & salutaria Ars medica tradit remedia; ità morborum multorum, quibus animi nostri afficiuntur, Iræ, cupiditatis, timoris, Ambitionis, Auaritiæ, et reliquarum perturbationum remedia affert philosophia; & ideò uitiorum expultrix, uitæ, morumque

magi-

magistra dicta est. Vt agnosceremus infirmitatem nostram, atque inde disceremus timere Deum; qui timor est initium omnis sapientiæ. Dei permissu incidimus in uarios morbos, quibus ut liberemur, Ars medica inuenta est, excogitata à Medicis salutaria multa remedia, quæ uaria, & diuersa adhibentur, ut uaria, & diuersa morborum genera postulant. Remedia autẽ, quæ ab optimis uitæ magistris philosophis, ad tollendos morbos animi edocẽtur, quibus miseri affligimur, mirum est q̃ negligantur. Nimirum id accidit, quoniam corporis morbi sentiũtur illi quidem; morbos autẽ animi non sentimus; & quòd miserabilius est, quò magis laboramus, eò magis remedia reijcimus, & contemnimus. Si deformitas uitij cerni posset, Si multi morbos, quibus mirabiliter eorum animi cõficiuntur, suamque calamitatem, aliqua ex parte cognoscerent, certè scio, philosophica præcepta minimè contemnerent, & medicos animorum philosophos amarent, & sequerentur. Verum enimuerò ita se res habet; ut ualetudinis recuperãdæ principium, est cognoscere se morbo affectum esse, & ualetudinem optare; Ita benè instituendæ uitæ principium est cognoscere seipsum (hoc est) humanam infirmitatẽ; deindè cognitis rebus illis quibus potißimum perturbatur animus, præcepta è philosophia, ad illas perturbationes moderandas, ad morbosque, si inualuerint, sedandos, adhibere. Nosce teipsum, & Nequid nimis,

ſunt duo ueluti fontes è quibus manat omnis benè uiuendi ratio, quorum tamen alterum ita in altero continetur, ut alterutrum principium, & regula bonarum omnium actionum eſſe uideatur. Qui nouit ſeipſum, & pulchritudinem uerè immortalis animi, quo diuino beneficio præditus eſt; Auaritiæ, Ambitionis, Voluptatis radicem conabitur extirpare ex animo ſuo, & honeſtatem, & decus amabit. Nihil uolet nimis; curabit ea quæ in eo ſunt poſita, ſcientiam, & uirtutem: res externas, honores, diuitias, & reliqua id genus, non magnifaciet. Veriſsimæ huius diſciplinæ quæ philoſophia de uita, & moribus, & animi medicina appellatur, ſalutariumq; præceptorum ad beatam uitam degendam, quæ in ea continentur, magiſtri multi fuerunt, ſed maximè omnium Socrates, qui longè omniũ qui Chriſtum non agnouerunt, modeſtiſsimus, qui cum uiuens, modeſtia, & uitæ admirabili exemplo multos inſtituiſſet ad uirtutẽ; eiuſdem ſermones à gratiſsimis diſcipulis, et tanto magiſtro digniſsimis Platone, & Xenophonte, monumentis litterarum ad uſum poſteritatis traditi, docent omnes uirtutes, in primis modeſtiam, & manſuetudinem; qua in re ſic iudico, uix poſſe fieri, ut qui ſermones illos Socraticos, ab illis (quos nominaui) Platone, & Xenophonte eleganter ſcriptos, ſæpe legat, eiſque delectetur, ut is ad uirtutem omnem non accendatur, in primis ad modeſtiam, quam iure optimo reliquarum uirtutum ornamentum

mentum appellatam legimus. Habuit Socrates discipulos quàmplurimos, nulli.n. non patuit ad optimum illum uirum, qui natus uidebatur ad erudiendos mortales, aditus; inter quos, magni nominis fuerunt illi quos nominaui Plato, & Xenophon, et Cebes Thebanus, cuius Dialogum nunc explicandum sumpsimus. Cur autem è tanta copia librorum, quos nobis ueteres doctissimi homines reliquerunt; Cebetis Thebani tabulam, uobis diebus festis, ut quantum in me esset, nunquàm intermitterem utilitati uestræ consulere, explicandam delegerim, paucis admodum uerbis aperiam; quod antequàm faciam, commemoranda sunt ea quæ in hoc pulcherrimo libello continentur. Humanæ uitæ cõditio exprimitur, nempè; qua ratione immortalis, & diuinus animus hominis ingrediens corporis carcerem, erroribus multis contaminetur, quis sit eius perniciosus suasor, qua uia præcipitet, qua ratione, & quo suasore in uiam redeat, & quo demum itinere, quibusue comitibus ad optatissimum finẽ suum, nempè ad beatitudinem, qua donetur bonis omnibus, perueniat. An quidquàm scribi potuit à philosopho utilius? An diligentior medicus animorum nostrorum quisquam potuit esse? præclara alij philosophi multa de uitijs, & de uirtute scripserunt, nemo tamen uitam hominis ità expressit; nemo scopulos quibus offendi animus possit, diligentius indicauit, iter nemo fidelius mortalibus ostẽdit, adolescẽtibus in primis ad

honestatem. Iure igitur optimo sumpsimus hanc Cebetis tabulam explicandam, cùm nobis sit propositum eniti, ut & optimi uiri, & utiles huic Ciuitati euadatis, & multarum rerum cognitionem assequamini. Quod si non utilitas solum spectanda est, sed honesta uoluptas, qua capitur incredibiliter humanum ingenium, utilitati miscenda est, quid potest esse suauius, quàm unò intuitu, pictura una humanæ uitæ ingressum, ex altera parte omnia pericula, agmen uitiorum miseria miserum comitatum; ex altera uerò beatitudinis sedem, chorum uirtutum, ministras demum omnes reginæ illi seruientes aspicere, meo iudicio à sanis ingenijs, ab adolescentibus ad uirtutem natis, cuiusmodi uos omnes estis, nulla percipi potest uoluptas maior, nulla honestior. Itaque cum Epicteti Stoici Enchiridion in quo sanctissima multa præcepta sunt tradita, absoluissemus; instituimus Cebetis Thebani tabulam, qua humanæ uitæ conditio expressa est, & uia altera ad beatitudinem, altera ad miseriam ostensa, explicare, explicabimus eam autem (ut spero) ita dilucidè, ut nemo sit, qui adsit, qui, omnia quæ dicemus, non sit facilè percepturus; & qui fructum magnum ex hac nostra domestica interpretatione non sit consecuturus.

Præfatio in libellum Porphirij de quinque uocibus.

Vt nudius tertius admonuimus, Platonē, singulis diebus

bus gratias patri, & principi Deo agere solitum legimus, quòd homo natus esset, non brutũ, quòd Græcus non barbarus, & potissimùm tempore Socratis, omissis reliquis, consideremus diligenter cur tã sæpe gratias ageret quòd homo esset; an quia uiuit homo (hoc est) alitur, augetur, & generat sui similes? non certè ob hanc causam, nam bruta etiam aluntur, crescunt, & generant simile. An gratias agebat Plato quòd esset homo, quia homo est animal, tangendi, gustandi, odorandi, audiendi, imaginandi, & recordandi facultate præditum? ne ob hãc etiam causam, sensu.n. prædita sunt bruta animantia, & acrioribus quædam sensibus; uidet.n. acrius Aquila, sagacius odorat canis quàm homo; & (ut paucis rem absoluam) robore corporis, sensuum perspicatia, & uelocitate præstant homini animalia multa. Vna est ratio, diuinum quoddam hominibus cõcessum munus, quæ facit ut admirabile hoc animal homo alijs omnibus animalibus dominetur, & ueluti administrator ac dominus in hac Mundi sede sit constitutus. Ratione, præclarissimo, & summo Dei munere, potest homo uerum à falso, quo animus, dum in corporis carcere inclusus est, decipitur, & bonum à malo, in quod plerumque incidimus dignoscere. Proprium est igitur hominis, ratione uti (hoc est) uerum à falso, & bonum à malo cognoscere, ad hoc natus est, ob id Plato gratias agebat Deo, quòd esset natus homo, & iure quidem optimo,

mo, nam ratione dempta à natura hominis, ignobilius est animal reliquis omnibus animalibus; & ideò qui reginam rationem facit seruam cupiditatum; & qui nequit dignoscere uerum à falso, & bonum à malo, is indignus est præclaro nomine hominis, et inter bruta animalia potius q̃ inter homines numerandus est. Ratio concessa est diuinitus omnibus hominibus. Insita singulis hominibus sunt quædam semina dignoscendi uerum, & bonum. Semina augentur exercitatione; negligentia extinguntur. Qui augent illa semina, fructus assequuntur maximos cognitionis, prudentiæ, & omnium uirtutum; qui ea extingunt, otio, et negligentia, nomine hominis digni non sunt. Vt autem facilius homo, animal unũ longè omniũ præstantissimũ ad cognoscendum, et ad agendum, ac demũ ad uniuersum hunc Mundum administrãdum natũ, quid in hac pulcherrimarum, & uariarum rerum uniuersitate, uerũ dici possit, quid non uerũ, quid probabile, quid non probabile; quid bonũ, quid malum, quid indifferẽs, ut hac cognitione institueret seipsum moribus; & famili.ã, & Rempub. administraret, ac demum honestè uiuens, et multarũ rerum causas cognoscens, in Dei amorem excitaretur, et ità ad beatitudinem perueniret, ut facilius inq̃ homo tot bona consequeretur; scientiæ, & Artes inuentæ, & diuino munere concessæ sunt, estq; imprimis inuenta, et tradita Ars logica, ars nobilis, & quasi porta omnis cognitionis, & principium intelli-

telligendi,& rectè agendi. hæc instrumentum Artiũ,& scientiarũ definitur; definitur facultas dignoscendi uerũ à falso, bonũ à malo, definitur Ars Artiũ,& scientia scientiarũ, rectè omnia; laudari.n. satis hæc Ars non potest. Itaq; amate hanc facultatẽ, aggredimini eam libenti animo. Iacietis.n. fundamenta doctrinæ, nec unquã (mihi credite) in ea uos esse uersatos pœnitebit. Maximè utilis est cognitio huius Artis, addo non solum utilem esse, sed etiam iucundã, et quod ambitiosi quidã homines, argutias nonnullus suas nimium magno precio uendentes negarẽt, etiam facilẽ. Vtilitatem explicaui: quàm iucũda sit hæc facultas perspicuum est, cum in proprio munere cuiq; uersari iucundissimum sit, munus autem hominis est ratiocinari, rectè id facere sequitur iucundum esse. Quod ad difficultatem attinet, quam quidam, Ambitione, nescio an inscitia, affirmant esse in logica Arte, satis mirari non possum, nihil aliud Ars logica continet nisi explicationem decem rerum generum, propositionum,& quasdam regulas concludendi, diuidendi, definiendi,& resoluẽdi, quæ regulæ maxima adhibita uerborum proprietate,& mirabili ordine ab Aristotele scriptæ sunt, in illis autem scriptis in quibus ordo admirabilis inuenitur, et uerborum proprietas, in illis obscuritas inesse non potest. Quamobrem desinant ambitiosi homines, odiosè amplificare cognitionem suam,& deterrere Adolescentes à studio pulcher-

cherrimæ huius facultatis. Quam facilè percepturos uos esse intelligo, cum præclarum ingenium, & ardorem uestrum ad scientias, ad uirtutes, & ad laudem cognoscam. Diligentiam certò scio adhibebitis, sine qua, & si ars ut ostendi difficilis non est, tamen nec illa, nec ulla alia disciplina percipi potest. Non maximam à uobis requiro diligentiam, mediocri diligentia uestra, ad hanc facultatem percipiendam, contentus sum, qui maiorem adhibebit; uberiorem doctrinam, & maiorem laudem consequetur. Mihi credite, ætate ista uestra lubrica, cui aduersariæ acerrimæ sunt, esca malorum uoluptas, & inscitiæ & impudentiæ mater leuitas, nec honestius, nec utilius à uobis quidquam potest fieri. Id uerissimum esse, breui (ut spero) unusquisque uestrum sentiet. Ad Porphirij Isagogem explicandam accedamus.

Præfatio in libros de Cœlo.

Non minimum Dei donum est (Auditores) philosophia naturalis, ad quam percipiendam (ut Plato scribit in Timæo) hominibus dati sunt oculi, concessæ sunt aures. Ornauit natura immo potius Deus nobilissimum animal hominem oculis; ut illis intuens solem, & reliqua sydera, admiratione afficeretur; admiratio pareret indagationē, indagatio cognitionem; cognitione ordinis, qui in

cœlo,

cœlo, & in rerum uniuersitate admirabilis cernitur, ad affectiones animi moderandas, & ad omnem uitam, ordine disponendā excitaretur. Aures idem pater homini concessit, ut docentes audiret, ut uocum concentum audiens, & harmoniæ suauitatem percipiens, studeret, ut animi facultates consentiant inter se, nulla sit dissonantia, harmonia suauissima sui ipsius animus perfruatur. Vsus præcipui quos affert philosophia naturalis, hi sunt, tollit admirationem rerum externarum, aufert metum, lenit (quod ego in patris obitu, quo, nihil mihi accidere poterat funestius, sum expertus) dolorem; deindè explicans pulcherrimarum, & abditarum rerum causas, explicat sanis ingenijs sapientiam, & bonitatē Dei; q̄ qui ignorat, inscientissimus est, & miserrimus. Sed quò minus mortales, suauissimos fructus, quos affert philosophia, gustare possint, impedit plerunque uanitas, & ambitio, qua ita interdum laborant, ut eos impudenter pudeat fateri, nescire, quod nesciunt, probabiles rationes afferentes, demonstrasse sibi persuadeant, & quod intolerabile est, summam Dei potentiam, infirmitate, & imbecillitate humana metiantur. Verū ut in hac optima Vrbe, philosophia excolatur, & fructus, quos affert, capiantur; inscriptum sit antè fores huius scholæ; Vanus, & Impudens nemo ingrediatur. ego.n. sic existimo (Auditores) quò magis homines excellunt ingenio; eo magis (si modestia absit) illis obes

se philosophiæ studium; nam ut corpora male affecta (ut Hippocrates scribit) quantò magis nutriuntur, tanto magis læduntur; ita animus, uanitate, & impudentia, grauissimis morbis laborans, quantò magis pulcherrimarum rerum cognitione alitur, tantò fit deterior. Quod utinam falsum esset, non.n. philosophia malè audiret, nec tot, & tam absurdæ sententiæ; immo potius portenta opinionum, ab illis, qui acutissimi philosophi haberi uoluerunt, in uulgus manassent. In omnibus disputationibus molesta est uanitas, odiosa impudentia; sed in quæstionibus de cœlo, & Mundo, uanitas est perniciosa, impudentia exitialis; nam qui impia uanitate ductus, profitetur se scire Mundum esse æternum; & affirmat quod nescit; incertum pro certo; immo potius falsum pro uerò; Dei prouidentiam tollit; animos mortales statuit, ingratos homines, erga Deum auctorem Mundi, & pulcherrimarum omnium rerum, efficit; qui autem, miserabili arrogãtia armatus, acriter pugnat; Mundum esse æternum, quia motus est eternus, quia tempus non est factum; quia non est credibile, Deum antè Mundum conditum otiosum fuisse; is metitur impudẽter Dei potentiã imbecillitate humana; homo, umbra, somniũ audet de rebus maximis, ducibus illis plerumq; cæcis sensibus, & malè sana, morbisq; uarijs affecta mẽte affirmare; qua in re nemo satis mirari potest stultitiã hominum; qui domum sine patrefamilias, nauim sine guber-

natore,

natore, ciuitatem sine magistratus cura, nec regi, nec conseruari posse putant: amplissimam tamen orbis terræ Rempub. à nemine fuisse constitutam, temerè conseruari affirmant, ordinem suspiciunt, causam efficientem à qua est profectus, non agnoscunt, non quærunt; quasi uerò quoniam ipsi excogitare nequeunt, qua ratione Mundus initium habuerit, necessarium sit, Mundum non habuisse initium, & non sit absurdius cogitare tantum, tamque admirabilem ordinem, à patre ordinis, & bonarum omnium rerum Deo, non esse profectum. Absit (ut dixi) Auditores, uanitas, & Arrogantia. Antequàm autem ad libros de cœlo audiendos accedatis; uerissima illa sententia, in animis uestris, imprimatur, immo potius confirmetur. Deum admirabili prouidentia constituisse, regere, & conseruare hunc Mundum; atque ut ad nauim gubernandam, gubernatoris; ad exercitum Imperatoris; ad currum ducendum aurigæ; ad Ciuitatem regendam, magistratuum cura requiritur, Ità ad amplissimam orbis terræ Rempub. constituendam, conseruandam, & administrandam, Dei procurationem esse, & semper fore necessariã; sine qua (nos miseros) nullus rerũ ordo esset, nulla iustitia, nulla pietas. Peruersæ, & exitialis sentẽtiæ de Mundi æternitate auctorem præcipuum, quidam putant Aristotelem, eumq; impietatis accusant, & fortaßè iniuria; nam ut sanctorum hominum doctissimus, & docto-

rum sanctissimus Thomas Aquinas scribit, argumentis probabilibus à natura sumptis concludit Aristoteles, Mundum non esse genitum; hoc est, non esse factum ex contrario; ex materia ipsa; non concludunt autem illa argumenta, Mundum creari non potuisse; nihil.n. prohibet, ut illud quod generatum non sit ex materia; creari potuerit à rerum omnium principe. Non est ineptè accusandus Aristoteles (Auditores) uir admirabilis, et scriba naturæ; sed accusandi sunt illi potius, qui cum ex Platonis dialogis; nec solum ex Platonis dialogis; sed ex sanctissimorum hominum, quos ueneramur libris, possint discere, Deum & curare res humanas, & constituisse, ac paterno imperio regere hunc Mundum; insaniunt tamen; & argutijs quibusdam, ingenium ostentantes; in adolescentulorum cætu, mira cum uoluptate defendunt mundum esse æternum. Vetus fama est (inquit ille qui de mundo scripsit ad Alexandrum, & quidem hæreditaria) uniuersa à Deo, & per Deum nobis esse constituta; nullamque esse naturam, quæ per se sufficiat orbata salute, quam ille fert. Quod si Aristoteles senex ad Regem Alexandrum compendium omnium suorũ librorum scribens, hanc sententiam scripsit, ut placuit Pico, & doctissimis quibusdam alijs hominibus; magis sunt accusandi molesti homines; qui in inuidiam, & odium Aristotelem adducunt. Sin autem alius quispiam illius operis fuit auctor, antiqui

tati

tati certè (cuius testimonio utitur) fides maxima adhibenda est. Viri admirabilis Platonis pulcherrima uerba, quæ sunt in Timæo, sunt etiam memoriæ commendanda; ne tractatio de cœlo, & mundo, nobis ulla ratione posit obesse. Bonus erat pater mundi (inquit Plato) bonus autem nulla unquàm de re inuidia tangitur; ergo cùm liuor ab eo alienißimus esset, omnia sibi, quantum fieri poterant simillima, fieri uoluit; quibus uerbis cõcluditur; bonitatem Dei esse causam efficientem, constitutionis, & conseruationis huius Mundi, eandemque essem finem; qua in re non semper contemnendi Stoici, qui meo quidẽ iudicio, rectè dixerunt omnia propter homines nasci, hoc est, ad usum hominum; homines autem ipsos propter Deum, hoc est, ut agnoscerent, amarent, & prædicarent Deum. Phidias statuarius (quemadmodum ueteres scribunt) cùm Mineruam pinxisset, in eius scuto sui imaginem ità insculpsit; ut necessariò si quis uellet eam conuellere, uniuersam statuam dissolueret. Ità princeps, & moderator rerum omnium Deus, in pulcherrimo hoc Mundo, ita expreßit sapientiam, potentiam, & bonitatem suam, ut qui eam non agoscat, nihil sciat; eam qui negat, pulchritudinem omnẽ Mundi auferat necesse sit. Vt autem à uobis hodierno die aliquis fructus percipiatur, definitio Mundi ad hunc usum colligatur, ut nullo errore, in hac tractatione de Mundo, turbari animus uester poßit. Mundus est coagmentatio

mentatio

mentatio cœlestium, et inferiorum corporum diuina Arte dispositorum, conditus à Deo, ut sit sedes, & domiciliũ humanæ naturæ, in qua communicet bonitatem suam, atque indè ametur, & prædicetur. hic est suauissimus rectè philosophandi fructus, non inanem gloriam aucupari, non argutijs decipere, non ambitiosè ostentare ingeniũ. Verum antequàm libros de cœlo, & Mundo, aggrediamur explicare, hæc ad usum studiorum uestrorum tractanda esse existimo. primò, naturalis ne philosophi sit, agere de cœlo, & Mundo an potius astrologi; & cùm ad naturalem philosophum pertinere ostenderimus; tunc erit à nobis quærendum, quem locum hæc tractatio, in naturali philosophia teneat, deindè explicata inscriptione; uniuersa materia subiecta quæ in his libris continetur, exponetur; idque, adhibita perspicuitate, & breuitate quanta maxima à nobis poterit. Vtar Simplicij, et B. Thomæ commẽtarijs. Simplicius (ut consueuit) affert in suis commentarijs in hos libros, multa, & præclara; si eos diligenter legeritis (mihi credite) fructum maximum percipietis, non solum ad hos quatuor libros de cœlo percipiendos, sed ad reliquos etiam Aristotelicos. B. Thomas perspicuitatem cum breuitate in commentarijs suis in duos libros priores coniunxit, & doctorum hominum iudicio uidetur, non solum alios, sed seipsum etiam hac in re superasse.

Præfatio post reditum in Patriam ab urbe Roma.

Absfui Auditores, & quandiu absfui, tenuit me incredibiliter patriæ desiderium, memoria honestissimi huius loci, et recordatione nostrorum studiorum, me ipse sum sæpè consolatus. Hodierno autem die, domestica hac luce, & isto uestro aspectu iucundissimo ualdè recreor. Intermissionis causa iustissima fuit; obtemperaui Cardinali Amplissimo Naugerio auunculo meo, cui in omni uita obtemperandum esse iudicabo. Obtemperaui non solum permissu, uerum & hortatu amplissimi Senatus; cuius auctoritate cum ad honorificum hoc munus interpretandi reuocer, sanè incredibili mea cum uoluptate reuocor. Redeo.n.in Vrbem, in qua, natum esse, fortunatum; in qua uiuere honestum, & iucundum exteræ etiam nationes existimant. Video Senatores Amplissimos, rectè administrandæ Reipub. magistros optimos, aspicio æquales meos suauissimos, & doctissimos homines; reuertor demum ad uos dilectos huius Reip. filios, ad uos (inquam) nobilissimi adolescentes, in quorum laude omnem meam laudem, & meam uoluptatem constitui; ego ex hac satis longa intermissione, fructus cæpi nō minimos. Nam ab illo (quē paulò antè nominaui) Auunculo meo Cardinale, multa me sentio didicisse. Romæ uerò, & Tridenti,

denti, cum praestantissimos qui in orbe Christiano sint homines uiderim, nonnullorum etiam consuetudine sim usus, quaedam obseruaui, quae uobis aliquem usum sunt allatura; admirabilis uirtus, quam in multis animaduerti, commouit me. Externorum hominum doctrina ad omnes labores perferendos, & res pulcherrimas inuestigandas, sum inflammatus. Vos intereà nullam iacturam fecistis, immo potius magnum lucrum absentia mea uestris studijs attulit; habuistis.n. Marcum Antonium Mocenicum hominem, multò diligentius, & foelicius, quàm ipse in philosophia uersatum, qui uestris studijs ità consuluit, ut eius industria doctiores euaseritis, & ne meam quidem illam diligẽtiam, quae uobis ualdè accepta fuit, desideraueritis; equidem non priuarem uos philosopho egregio, nisi me tacitè Senatus decretum hortaretur, nisi me sciendi cupiditas traheret, nisi amicorum, atque etiam affinium uoluntas impelleret. Quanquàm (Auditores) quid in hac urbe agerem? quomodò uobiscum sine philosophia, sine mea hac pristina disserendi exercitatione uiuerem? Nostis ingenium meum, scitis quantùm amicorum sermonibus sim solitus delectari, quorum cum sit conciliatrix philosophia, sine ea non uiuerem (Auditores) aut si uiuerem, minus certè iucundè uiuerem. Cumulent opes, qui Artem cumulandi didicerunt, me illius Artis ignarum, quem natura docet minimis esse contentum, philosophia amplectatur.

tur. Assequantur honores, qui in illis, sua cum laude uersari sperant; mihi uestra beneuolentia sit honor amplissimus. Quærant uaria uoluptatum genera, qui nihil nisi quod sensibus percipi potest, gustarunt; Ego philosophiã uitæ condimentum gustem, ea me oblectem, suauissimo cibo quem affert, animum meum pascam. Vrbs Roma cultrix ingeniorum, & magistra Iudicij celebretur, est.n.iure celebranda, ego philosophiæ amator; fruar hoc cœlo, hac libertate, hoc otio literario, intuear hos de Repub. optimè meritos Senatores, uideam æquales meos, uiros amabilissimos; omne meum studium ad commoda, & ornamenta nobilissimæ huius Ciuitatis conferam. Vos autem nobilissimi adolescentes, quos ego uideo natos ad administrandum pulcherrimam hanc Rempub. sequimini hac in re ciuis uestri iudicium, diligite philosophiam; eius filias amabilissimas continentiam, modestiam, & ueritatem amplectimini, fugite per Deum immortalem, Ciuitatum perniciem, & omnium scœlerum originem incontinentiam. Impudentia aduersaria philosophiæ, inimica consilio, altrix odij, atque ignominiæ longè absit à uestris ad præclarissimas res natis ingenijs. Mendacium, eiusq; soror adulatio, Ciuitatum (ut Plato inquit) calamitas, & ad iniustitiam instrumentum, procul absit à nobilissimo hoc cœtu; hæ regulæ seruẽtur, ne per nos philosophia malè audiat, & in inuidiã adducatur. Incerta pro certis

N non

non affirmentur, inanes diſputationes omittantur; quicquid Chriſtianæ pietati aduerſatur, falſum putetur; eſſe, non haberi philoſophi ſtudeamus; ſine his præceptis nemo in hanc ſcholam ingrediatur; caueamus.n. hoc maximè ne docentes philoſophiam, ſimus magiſtri impudẽtiæ, & impietatis. Hoc anno, ut obſequar ſtudijs eorum, quibus obſequi imprimis ſtudeo, in Meteorologicis, & in Politicis uerſabor; utrumque ſtudium futurum eſt utile, utrumque iucundum, Cometarum, Iridis, uentorum, grandinis, & reliquarum affectionum, quas uidemus, cauſas qui cognoſcit, abijcit ineptam admirationem, naturæ artificio delectatur, & per illos gradus ad Dei prouidẽtiam aſcendit. Politica oſtendunt qui ſint fontes ſeditionum; docent qua ratione conſeruentur, et mutẽtur, ac intereant Reſpublicæ, quanta uis ſit poſita in ſeruandis legibus, quantum periculum in negligendis. Nos etiam aliarum Rerumpublicarum formas, mores conſiderantes, ad maxima, & illuſtria Dei beneficia cognoſcenda excitabimur. Ariſtotelis ſummi philoſophi, magiſtri humani generis, ac naturæ ſcribæ ſenſa explicabo, quantum potero, breuiter, & dilucidè. In illis explicandis Græcos interpretes ſequar, ac Diuum Thomam, quem ob præclarum iudicium, & multiplicem doctrinam, cum Græcis ſemper conferendum, quibuſdam etiam anteponendum iudicaui. Sed de his alio loco uberius. Quod ad me attinet,

net, non desiderabitis in me amorem, neque studium, neque diligentiam.

Præfatio in libros de Anima.

Socratem Auditores (ut testantur historiæ) uenerata est antiquitas. Vir ille qui philosophiam de cœlo in priuatas domos euocasse scribitur, & qui Apollinis oraculo, sapientissimus est iudicatus, hæc (ut eius discipuli, Plato, & Xenophon scripserunt) sæpè usurpare consueuerat. Quod est supra nos nihil ad nos. Hoc unum scio, quod nihil scio; quibus sententijs uniuersam naturalem philosophiam quam profitemur, & omnem contemplationem uisus est euertere. Cœlum undè tantus, & tam admirabilis ordo, ad cuius contemplationem sumus excitati, syderum cursus, astrorum obseruationes, undè Ars nautica, et Agricultura tot capiūt cōmoda nihil ad nos? nihil ad nos quæ de sapiētia, potentia, et bonitate Dei, ex effectis, humana mens potest cognoscere? immo mihi hāc rem diu, & multum cogitanti (Auditores) ea maximè uidentur ad nos pertinere, quæ supra nos sunt; cætera uerò uel parum, uel nihil; indè .n. habemus quòd iucundissima hac luce fruimur, & quòd mentis, & rationis compotes sumus, quod quidem tanti est faciendum, ut si cum eo, omnia quæ expetuntur bona, ualetudo, diuitiæ, honores,

& reliqua id genus conferantur, nulla prorsus uideantur esse. At unum hoc tantum sciebat sapiens uir quòd nihil sciret; an quia ueritas in profundo demersa est? uel quòd incerti, & fallaces sunt iudices sensus? aut demum quia sunt occultæ rerum causæ? magna (non negamus) est ad res percipiendas difficultas; sed tamen quædam sunt principia in omnibus scientijs, atque Artibus, quibus constitutis, non minimarum rerum cognitionem possumus assequi; ut in naturali philosophia; omnia quæ mouentur, ab aliquo moueri, & unum esse rerum omnium motorem qui à nemine moueatur; cœlum lumine, & motu agere in hunc orbem inferiorem; accessu, & recessu solis generari, et interire omnia, quæ infrà globum lunæ continentur, quatuor esse elementa, nec plura, nec pauciora quatuor primis qualitatibus dissidentia, quatuor esse humores, & pleraq; alia, quæ cum animaduertissent sapientes homines, modestiã uel potius ironiam Socratis illi quidem non reprehenderunt, sed tamen ab eius sententia discedentes, contemplationi pulcherrimarum rerum se tradiderunt. Verum inter eos tot ac tantæ extiterunt, et adhuc extant inter eorum sectatores controuersiæ, ut philosophiæ amatores interdum ualdè pudeat. De corporeitate materiæ, de minimo, de intensione, & remissione formarum, de formis elementorum differentibus licet impune, et sine scœlere peccare; at niti argumentis Aristotelis, quæ

omnia

omnia ſolui poſſunt, tanquam certis, & firmis ad Mundi æternitatem conſtituendam, hoc eſt, ad omnem pietatem euertendam; & ut Alexandræi germani Ariſtotelis habeamur, ubique diſputare animos interituros; aut colentes Auerroem, miſerabilem intellectus unitatem, & infælicisſimam quæ nihil ad ſingulos homines pertineat, immortalem defendere; hoc exiſtimatur intolerabile, hoc facit (Auditores) ut philoſophia interdum malè audiat, & in Inuidiam adducatur. Hanc optimorum hominum eſſe iuſtisſimam quærelam exiſtimo, et idcirco (Veneti adoleſcentes) pro meo ſingulari erga uos amore, hortor, atque etiam rogo, ut iſta ueſtra ætate periculoſum putetis de quæſtionibus difficillimis affirmarè; turpe ac indignum philoſopho ducatis, incognita pro cognitis, incerta pro certis, falſa pro ueris ſtatuere; præceps de quacunque re diſputandi, & aſſerendi ſtudium, præterquàm quòd ſuſpectam, & odioſam facit philoſophiam; præclara etiã ingenia corrumpit. Ego (Auditores) ut uobiſcũ agam ingenuè, cum non minima diligentia in Ariſtotelis, ac aliorum philoſophorum libris, ut ueſtris ſtudijs conſulerem, ſim uerſatus, mihi euenit ut uerecundius, & cautius quam decem iam annos faciebam, quidquã auſim ſtatuere, & minus etiam me pudeat fateri neſcire quod neſcio. Quòd ſi ulla de re timidè ac parcè diſputãdum inter philoſophos putaui; de ortu Mundi, & de animorum im-

mortalitate timidiſsimè, & parciſsimè diſſerendum ſemper exiſtimaui. legimus.n. inter philoſophos magna fuiſſe diſsidia; ab ijs defenſos multos errores, Ariſtotelis ſententiam de animorum immortalitate adhuc poſt tot ſæcula eſſe ambiguam, quid igitur? erant ne idcircò omittendi pulcherrimi libri de anima Ariſtotelis? cum in reliquis ferè omnibus partibus naturalis philoſophiæ tractandis, ſecuti Ariſtotelem ſuperioribus annis ſimus uerſati; debuimus hanc nobiliſsimam, & difficillimam partem præterire? profectò ſine magna iactura ueſtrorum ſtudiorum, & ſine magna mei reprehenſione, id facere non poteram; celebratum eſt illud, homo eſt magnum naturæ miraculum; quod quidem quid ſibi uelit; nemo qui hiſtoriam de anima non teneat, poterit cognoſcere. Nam quamobrem creditis hominem eſſe dictum miraculum? an quod eſt animal ſagax, acutum, multiplex, rationis, & mentis capax, rex aliorum animalium, creaturarum quaſi internuncius, naturæ interpres, ſuperis familiaris? Non tam (ut opinor) has ob cauſas, quàm quòd omnia in eo uitæ germina inſunt, & ea poteſt excolere quæ uult; qui nihil aliud cogitans, beatiſsimum putat uiuere; is planta eſt non homo; qui ſenſuum tyrannidi ſeruit, bruteſcit; qui contemplatione diuinorum, & beneficijs in alios conferendis delectatur cœleſte euadit animal. Hoc eſt (Auditores) magnum miraculum. Cœlum non quòd circulo mouetur,

ideo

ideo eſt cœlum, ſed quia nobiliſsima forma eſt præditum; ſtirpem non cortex, ſed anima ſenſu carens; nec animal alimenta, ſed uis ſentiens conſtituit; ita homo non quòd creſcit, uiuit, nutritur, generat, uidet, audit, & alijs ſenſibus utitur; ſed quia rationi paret, & mentis compos, res quæ ſupra nos ſunt contemplatur, ideo eſt homo, qui cum ſeipſe cognoſcit; in ſe (ut Plato oſtendit in Alcibiade) cognoſcit omnia; eſt.n. mundus paruus, cuius mens cœlo, humores elementis, excrementa meteorologicis, partes anima carentes metallis, uariæ corporis functiones ſtirpibus, & animalibus reſpondent; hoc magnum miraculum, ſine animæ, et diuerſarum facultatum cognitione, quibus planta, animal rationis expers, unuſquiſque qui Reginam rationem negligit, poteſt ſua culpa euadere; nemo ueſtrũ (Veneti adoleſcentes) cognoſceret, non erat igitur omittenda hæc tractatio. Iam uerò Alexander Aphrodiſienſis, qui Seuero, et Antonino Imperatoribus, ad tantam nominis celebritatẽ peruenit, ut nemo haberetur philoſophus peripateticus, niſi eſſet Alexandreus, in libro quem ad imitationem Ariſtotelis ſcripſit de anima: dixit quaſdam res eſſe huiuſmodi, ut eas exiſtere notiſsimũ ſit omnibus, earum tamen naturam eſſe occultiſsimam, et enumerauit tempus, motum, & animam. Quid ſit motus, quid ſit tempus, ideò non facilè cognoſcimus, quia ut res ſunt, ita percipiuntur: cùm autem hæ naturales affectiones ſint

nes ſint

nes ſint huiuſmodi, ut ſint cùm fiant, & cùm iam ſint factæ, deſinant eſſe; non facilè eſt pronunciare, in quo ſit poſita, motus, & temporis natura, quod admodum Senem de tempore loquentem non puduit fateri, cum quem doctiſſimorum hominũ ſanctiſsimum ueneramur Beatum Auguſtinum. Animæ autem natura idcircò à nobis minimè cognoſcitur, quia hoc corpore quaſi ſepulchro detenti, incorpoream, immortalem, ac diuinam naturam nequimus aſſequi. Hanc difficultatem ſibi ſuperare propoſuit is, quem orbis terrarum non immeritò admiratur, Ariſtoteles; et à rebus quæ ſenſibus noſtris ſubiectæ ſunt ad facultates, à facultatibus ad eſſentiam explicandam, mirabili ordine eſt progreſſus; qua in tractatione, omnes philoſophos, qui ea de re ſcripſerunt, longo interuallo uidetur ſuperaſſe: eius libros, quanta maxima poterimus diligentia, ſtudebimus explicare, qua in re, utemur cõmentarijs Themiſtij, & Simplicij, & aliorum græcorum; etenim ea quæ à grecis adhibetur interpretandi ratio, mihi multos iam annos probata eſt. In Beato Thoma, quem docti homines magnum etiam fuiſſe philoſophum putant, ſolida, æquabilis, atque etiam conſtans interpretandi ratio uidetur fuiſſe. Quamobrem ex ipſius etiam commentarijs in hac explicatione fructum aliquem capiemus. Nullius (ut ſcitis) neque etiam ipſius Ariſtotelis in uerba iurabimus; eorum quos nominaui, atque etiam aliorum ſenten-

tias,

tias; quantum in nobis erit, uerbis Aristotelis studebimus accommodare; quod antequàm facere, aggrediar, has disputationes propono tãquàm utiles, et necessarias. Num de anima sit scientia; quòd si de Anima, haberi potest scientia, in quo scientiarum genere sit collocanda, quo loco, uniuersam scientiarum distinctionem tradam; cùm autem probauero; ad naturalem philosophum pertinere, agere de Anima, disputandum erit num septimum an octauum locum in naturali philosophia occupet; quàm sit hæc tractatio nobilis atque etiam utilis, & quas ob causas; uerba ipsius Aristotelis explicans aperiam. Hæc hodierno die sufficiant.

Præfatio Hermolai Barbari, quum libros Aristotelis domi cæpit prælegere: quas lectiones ἑώθινα uocauit, cœpit autem mane sub emersum solis fere.

Quod propositum meum esset in hac prouincia quam suscepi adolescentes optimi: quanquàm priuatim, & seorsum uobis sæpe dixi: tamen nunc quoque dicendum uniuersis: & in commune puto. Animus est, & professio primum Aristotelis ipsius, tum uerba, tum sensum iterpretari; deinde quid expositores eius utraque lingua dixerint referre: sed breuiter, & cum delectu: ita nec onerati, nec inanes abibitis: id quod econuerso faciunt philosophi æta

O tis no-

tis noſtræ. Expoſitores etiam ipſos magna cura prælegunt: Ariſtoteles ipſe negligitur. Quam quidem rationē docendi utrū reprehendā necne, non ſum dicturus hoc loco: certè non ſequor. ſed aliud eſt reprehendere, aliud non ſequi: illud ſine iniuria cuiuſquam modeſtè dictum arbitror, eos qui philoſophiæ præcepta tradunt Ariſtotele poſtpoſito: philoſophos fortaſſe magnos, & admirabiles dici poſſe: Peripateticos utique uel ſaltem Ariſtotelicos, nec haberi, nec appellari poſſe, niſi quis contendat Peripateticæ ſectæ placita melius ab alijs, quàm ab Ariſtotele ipſo tradi. Neque tamen deterreri uolo quenquam: ſi qui ſunt e uobis qui præceptores huic inſtituto noſtro contrarios audierint: immo gratulari poſſunt utrunque: & quòd perſpicaciores futuri ſunt, & quòd facile iudicabunt quid interſit inter hoc, & illud præcipiendi genus. Contra quoque ſi qui pœnitus rudes acceſsiſtis, nihil propterea deſperandum uobis eſt, niſi potius gaudendum, quibus contigerit incunabula philoſophiæ ab ipſo protinus Ariſtotele doceri, & eam ſtatim uiam ingredi: quam clariſsimi, & caſtiſsimi quique ſecutores eius ſolam nouerunt. Alioquin qui putant hunc aditum patere nemini qui ſcholas illas philoſophiæ nūquam intrauerit, in magno uerſantur errore: quādoquidem tales ſcholas nec M. Varro, nec Brutus, nec Plautius, nec Calcidius, nec Boetius ingreſsi, non Alexander, non Themiſtius, non Porphirius,

phyrius, non Iamblichus, non Simplicius, philosophi tamen eminentissimi, & Aristotelis interpretes iuratissimi fuere. Sed reuertor unde sum digressus: credo polliceri uobis posse duas res. Alteram, interpretaturum me uobis intra triennium uel summum quadriennium Aristotelis omnia uolumina: hoc est quicquid ad dialecticen: quicquid ad philosophiam naturalem: quicquid ad transnaturalem pertinet. Item quicquid ad moralem, ad rhetoricen, ad poeticen. Nam de omnibus ijs Aristotelem scripsisse constat. Quorum ne centesima pars quidem legitur: nec ipsa plane legitur uidelicet. Nam ex uoluminibus Aristotelis centum & uigintiquinque, aut sex, aut septem tantum leguntur. Alteram, effecturum me pro uiribus, ut nihil sit in Aristotele, tam difficile, tam obscurum, quod assequi non possitis omnes intelligentia. Reliquum est ut horter uos non ad hæc studia: uideo etiam incitatissimos uos esse: sed ut ad hoc desiderium uestrum ardens, & concitatum afferatis, & diligentiam, & constantiam. facile magis cogitamus, ut in auscultatione naturali legitur: sed magis facilè nō consequimur. Nihil est tam arduum quod humanum ingenium penetrare non possit: Sed sine labore, sine uigilijs peruenire nemo potest ad ea quæ nos a uulgo separant, & a populo. Cauendum autem uobis inter prima est: non dico, ne per ignauiam desistatis ab incœpto: sed ne uicti difficultate uideamini, atque ita in nu-

mero eorum esse: quos ipsemet Aristoteles a lectione commentationum suarum reiecit. Omnes enim philosophi discipulorum suorum ingenia probabant: Pythagoras ex insomnijs quæ per quietem uidissent: Plato in conuiuijs atq; potu: Aristoteles utroq; melius ex ipsa sermonis obscuritate, ad quam non præsentes adeo, sed et posteros explorauit, quasi aquila infantes suos, ut quorum oculos con niuere senserit, præcipitet e schola tanquàm adulterinos: quorum uero acies firma contra steterit, educet, & recipiat ut legitimos atque suos. Quamobrem enitendum uobis est: ut huius aquilæ uideamini generosa soboles fuisse, non pulli degeneres et eiecti. Cæterum tacere nolo unum: quod ego maximum, et præcipuum ad studia philosophiæ comperi: quod quidẽ qui sequi nolet? nemo est ingenio tam retuso, tam hebeti, qui euadere non possit ad huius apicem doctrinæ. Quæritis quid hoc sit? absoluo breuiter, uoluptatum fuga, id quod uersu quodam græco præcipitur. γαστρὸς μὲν πρώτιστα, καὶ ὕπνου καὶ φιλότητος. i. uentris quidem primum, & somni, & amoris.

Quem per iocum nos expressimus paraphrasi.

Venter, pluma, Venus, laudem, fugienda, sequenti.

Sed finem dicendi faciam, si addidero ijs quæ dixi, breuem sententiolã. Non sum adeo tardus, nec impudens, qui magnitudinem huius professionis meæ ignorem: sed fretus sum non eruditione aliqua mea; sed nonnulla fortasse

tasse diligentia: ut quod uel ingenio, uel doctrina non possum, labore saltem, & cura perficiã. Propter quæ si sunt e uobis aliqui uel studiosi, uel amantes mei; hanc unam mercedem postulo, ut Aristotelem non dico diligenter auscultetis, sed diligatis atque ametis. Atque amari quidem, & ipse uelim: Sed si amare simul duos non potestis: Aristotelem solum pro me diligite, atque amate. Amabitur autem tunc demum quum cœperit intelligi. Illud uero persuasissimum habetote: nullam uobis maiorem uoluptatem futuram, quam quum ita familiarẽ habebitis Aristotelem, ut libros eius legere continenter, & inoffense ualeatis, expositoribus non consultis: hæc enim summa profectus est: hic finis librorum: unde fructus ille cumulatissimus, & uere beatus capitur, ut cum ipso plane uiuo, & præsente loqui uideamur. Sed accedendi tempus est ad institutum nostrum. DIXI.

Qua ratione uersandum sit in Aristotele ad Leonardum Donatum.

In tanta multitudine hominum, qui hac tempestate philosophiæ animum adiecerũt, paucissimos reperias, qui Aristotelẽ reliquis omnibus philosophis nõ anteponãt, & ex ipsius scriptis, ueluti ex uberrimo fonte sibi pulcherrimarum omnium rerum cognitionem esse hauriẽdam non intelli-

intelligant: & profectò iure optimo. Nam ut omittam praeclarum hominis ingeniũ, quo fortasse in ullo alio homine, nec fuit, nec erit unquàm praestantius, si numerum, et magnitudinem rerum quas tractauit, animaduertamus, si rationem admirabilem, qua inuenit, & docuit omnes ferè disciplinas, si demum summã eius in rebus obscuris explicandis eloquentiam consideremus; cum eo philosopho, neminem audebimus conferre: & iure factum esse dicemus, ut tanta sit apud omnes illius auctoritas, ut nemo, nisi quae ille monumẽtis literarum tradidit, optimè perceperit, ne leuiter quidem eruditus habeatur. Sed mirabile quiddam est, cum omnes in eo ferè consentiant, quòd tamen inter multos tanta sit dissensio, qua nam ratione in eo auctore intelligendo uersari oporteat. Nonnulli sunt, qui, quasi nihil referat Aristotelem graecè, latinèue, aut barbarè legant, aut interpretentur, sine ulla Grammaticae cognitione, ipsius ordinem, & documenta praeclara, se percipere posse confidunt, & idcircò cum inquinate loquantur, & sensa omnia peruertant, modo pugnacissime de quacunque re possint contendere, se summos peripateticos esse arbitrantur. Quod uitium quoniam latè patet, & temporum potius quàm hominum ipsorum fuit, pluribus uerbis non reprehendam. Illud tantum dicam, hanc praecipuam fuisse causam, cur perpauci fuerint, patrum memoria, qui in aliquo disciplinarũ genere ità excelluerint,

ut cum

ut cum ueteribus possent conferri. Nam (ut multos omittam, Achillino, Burleo, Petro Pomponatio, & plerisque alijs qui aliquo in honore fuerunt, ingenium non defuit, quo minus, & interpretari Aristotelem, & aliquid etiam ipsi excogitare possent; sed ea adiumenta, quæ per se quidem minima uideri possunt, sed eiusmodi tamen sunt, ut sine illis, nec Aristotelis sententiæ percipi, nec quicquam præclarum literis consignari posit; in eis desiderabantur, cognitio græcè, latinæque linguæ, & multarum rerum notitia; quas si contempserunt, contemnendi sunt ipsi maximè, si id uitio temporum discere non potuerunt, sunt magnoperè excusandi. Excerpunt alij quasdam ex Aristotele sententias, quas habent semper in ore, & quas in quotidianis, familiaribusque sermonibus semper usurpant; quos quidem homines ego non contemno, quippe qui quædam obseruant, quæ obseruatione dignisima sunt, & res aliquandò pulcherrimas in medium afferunt, sed profectò multò maior fructus à nobis, si diligentiam adhibeamus, ex Aristotelis scriptis percipi potest. Tertium est genus hominum, qui sic in Aristotele uersantur, ac si historiam legerent, & in eo potisimum omnem curam, operam, & diligentiam ponunt, ut Aristotelis singula uerba in latinnm sermonē quam elegantisimè conuertant, quorum hominum studium, tantum abest, ut ego reprehendam, ut id probem maximè; & eos de nobis, &

de la-

de latina lingua bene meritos esse prædicem. Sed tamen ut in cæteris rebus, ita in hac quoque modus quidam, meo iudicio, est adhibendus. Etenim cauendum quidem est, ne indisertè uel barbarè loquamur, sed animaduertere oportet, ne nostra in sermone religio rebus quæ in philoso phia quibusdam uocibus, & explicari, & intelligi solent facillimè, tenebras quasdam offundat. Cum igitur hac in re tot, et tam uariæ sint multorum sententiæ; petijsti à me sæpe, ut quid ego sentirem, cùm aliquid otij nactus essem, ad te scriberem. Equidem ità ingenium, moresque tuos diligo, ut nihil mihi unquàm difficilius esse putauerim, quàm tibi aliquid denegare: scribā igitur liberè quod sentio: quanquàm quid ego possum scribere, quod tu uel à doctissimis uiris non audiueris, uel tibi uenire in mentē non possit facilè? Ac (ut rem totam paucis complectar) præclarum imprimis à natura habeat ingenium oportet, qui Aristotelem summum philosophum, qui de rebus maximis breuissimè, & admirabili ordine disputauit, aut intelligere, aut interpretari sibi proposuit. Vt.n. omnes quæstiones, quas tractauit, sunt præclaræ; ità quædam, ut de principijs naturalibus, de motu, de loco, de tempore, mentibus cœlestibus, sunt adeò difficiles, ut quiuis eas facilè intelligere nō possit. Deindè modestia quædem requiritur, ne cùm primùm Aristotelem attigerimus, ubique, quacunque de re, & cum quoque, in utramque partem pertinaciter dispu-

tare

tare incipiamus. In quem errorem, qui (ut ego arbitror) eſt maximus, quot, & quàm multi Deus immortalis incidunt quotidie? Diſputant.n omnes, & ſic ſæpè diſputant ut argutias quas afferũt, plerunque nec ipſi, nec ij, quibus cum diſputant, intelligere uideantur: qua ratione, cum ea diſcant, quæ poſteà dediſcenda ſunt, nihil aliud, quàm impudentiæ famam conſequuntur. Diuinus Plato, in eo, qui ſeptimus de Repub. eſt inſcriptus, dialogo, iuſsit, ne quis; in ea diuina quã inſtituebat, Ciuitate, ante trigeſimũ annũ, in utramq; partem tueri aliquid auderet: quod idcircò ab ipſo inſtitutum eſſe arbitror, quoniam uerebatur, ne tenera illa ingenia cùm in rebus probabilibus uerſarentur, quid eſſet uerum, quid rectũ non poſſent iudicare. Quod pulcherrimum Platonis præceptum, utinam animaduerterent multi doctores, quibus, adoleſcentium inſtituendorum cura committitur; Melius.n. cum noſtris adoleſcentibus ageretur: neque idcircò uelim putes, me omne genus quærendi, et diſputandi tollere. Placent (ut ſcis) diſputationes, et ſcio utiles eſſe: iuuat ſæpè à uiris doctis aliquid quærere, ſed neque de omnibus rebus, neque ubique, neq; cum omnibus (ut ego arbitror) diſputandum eſt, adoleſcenti præſertim. Pluribus uerbis, pro mea erga te beneuolentia, te hortarer, ut hoc commune quaſi ætatis uitium imprimis tibi uitandum eſſe exiſtimares, niſi tuam modeſtiam perſpexiſſem; quæ uirtus nõ ſolum in omni uita; ue-

rum etiam in lectione Aristotelis tibi uilitatem afferet maximam. Nunc quoniam de ijs, quæ à natura ducenda sunt diximus; dicamus de ijs, quæ uidentur esse Artis, et institutionis. Ac imprimis ego sic statuo, fieri facilè non posse, ut aliquis sine Græca, latinaque lingua, ad magnam scientiæ laudem posit peruenire. Nam quanquàm omnia Aristotelis scripta in latinum à doctis uiris conuersa sunt, uidere tamen licet quàm imperitè, & indisertè quædam sint uersa, et quantum in plerisque uocibus interpretandis, interpretes inter se discrepent. Quòd si mihi aliquis obijciat multos extitisse, & nunc esse summos philosophos, qui græcè, & latinè nesciunt, eis ego ità respondeam, non esse difficilè homini abundanti ingenio, apud imperitos famã doctrinæ, sine doctrina acquirere, uerum si docti uiri sint iudices, philosophos eos qui sine græca, latinaque lingua in Aristotele uersati sunt non maximos fuisse, & simul cum uita eorum esse pœnitus extinctam memoriam comperient. neque illi sunt audiendi, qui ideò græcam linguam, quòd ità sit ad discendum difficilis, ut, nisi multò tempore percipi non posit neglìgendã ducant. Varietate, & copia nobilissimã illam linguam, reliquas omnes superare, nemo negat, concedo etiam nobis nũc alienissimam esse, tamen tantus ex ea fructus percipitur, ut alacriter illius cognoscendæ gratia, omnis suscipiendus sit labor. Iam uerò illud animaduertendum est omni studio, ac

dio, ac diligentia; qua ratione, siue ordine Aristoteles, omnes ferè Artes inuenerit, & docuerit, quod ut est necessarium, ità est difficile. Nam ordo est quasi anima ipsarum rerum, quem si negligimus, in uarias difficultates incidamus necesse est. Et quoniam, hac de re, magna inter uiros doctos est controuersia, puto mihi esse faciendum, ut quæ à doctissimis uiris accepi, breuiter exponam. Illud imprimis scire oportet, quasdam esse uias, siue rationes; quibus in disciplinis, atque Artibus tradendis usi sunt ueteres. Nam si à notione finis, subiectam rem totam dissoluissent in partes, & in propria principia, uia quadam siue ordine resoluendi accommodato ad aliquam disciplinam constituendam, artes tradebant: sin mutato ordine, sumpto exordio à principijs, & ab ipsis rebus, quæ sunt simplices, ad ea quæ ex principijs sunt, et ad res concretas progrediebantur, ordine quodam componendi aptissimo imprimis ad tradendam totam scientiam utebantur, quo esse usum Aristotelem, tum in physiologia tradenda, tum in Dialectica facultate, compertum omnibus est. Verum si constituta alicuius Artis definitione, singulas partes diligenter explanassent, ordinem diffiniendi, qui est ad commendandum memoriæ id, quòd arte contiñetur, aptissimus, se adhibuisse dicebãt, quem ordinẽ, cùm Artẽ medicã traderet, secutus est Galenus: atq; ij sunt in uniuersum tres ordines, quibus disciplinæ, atque Ar-

tes tradi possunt. In tractandis autem quaestionibus, quae incidũt in omnibus disciplinis; uerbi causa, in physicis, de materia prima, de forma, de motu, & de alijs huiusmodi, quatuor usi sunt instrumentis praeclaris, diuisione, definitione, demonstratione, & resolutione, quorum omnium rationem, uim, atque usum, eum qui aliquam laudem cupit consequi in philosophia, optimè cognoscere oportet. Et propterea à dialectica facultate quod à graecis organum dictum est, auspicandum esse arbitror. Sed cauendum est, ne in eum, in quem ferè omnes, fato quodam huius aetatis, errorem incidunt, incurramus, nimirum, ne plus temporis, quàm par sit, in argutijs quibusdam discendis consumamus. Tradidit Aristoteles primum summa rerum genera, tum propositionum naturam, deinde constituendae ratiocinationis, postremò quae ad demonstrationem, ad definitionem, & ad reliqua instrumenta pertinent, copiosè est, & subtiliter persecutus: idque ad eum tantùm usum, ut id quod est uerum in rebus aeternis, bonumq; quid à malo differret, in hac communi, quotidianaque uita cognosceremus. & quoniam multae res sunt probabiles, pleraeque etiam falsae, ut ea quae probantur uel omnibus, uel pluribus, uel sapientibus, defendere possemus, & imperitorum hominum captiunculas cognoscere, conscripsit libros quosdam, & notauit locos, quibus, et de unaquaq; re in utramque partem differere, & ineptorum hominum sophismata

dissol-

dissoluere possemus, quo toto opere quid poterat ab homine excogitari ad usum mortalium præstantius? Sed ij omnes libri, quibus (ut dixi) facultas dialectica traditur, præcepta continent, quæ sunt discenda, & commendanda memoriæ, & ad eum finem ad quem inuēta, & tradita literis sunt, debent reuocari. Rideremus stultitiam fabri, qui in cognoscendo malleo, qui, est ipsius Artis instrumentum proprium, omne tempus poneret; & non ridemus ineptos, & molestos homines, qui in disputationibus quibusdam, ex quibus, nec ipsi, nec aliquis alius utilitatem capit, totam ætatem consumant. Neque alterum errorem ferre possum, qui latè patet, quòd tanta nonnullorum sit ambitio uel imperitia, ut in nonnullis libris Aristotelis interpretandis, tantum temporis consumant, ut maximam partem, & quidem fructuosam, tum libelli de interpretatione, tum eorum, quæ priora, & posteriora analytica inscribuntur, uel negligant, uel certè nunquam interpretentur; & tamen biennio ad summum; tota ea facultas tradi, & percipi posset, atque ut nihil in hac re sit, quod posis desiderare; puto mihi esse dicendum aliquid etiam de commentarijs qui scripti sunt in Aristotelē. Ego sanè Ammonium, iudicio, & doctrina, omnibus qui institutiones illas Porphyrij, categorias, & libellum de Interpretatione, interpretati sunt, facilè antepono. In priora Analytica habemus Alexandrum illum, qui peripateticus est

dictus,

dictus, & Ioannem Philoponum hominem doctum, diligentem ac perspicuum interpretem. Quare, quod ad eam partem attinet, alios commentarios non est, mea sententia, cur desideremus. Posteriores uerò libros qui sunt longè omnium difficillimi, Themistius uir doctissimus, & eloquentissimus, & is (quem paulò ante nominaui) Philoponus, ita explanauerunt, ut nullo alio interprete egeamus. Neque propterea ego Auerroem, Boetium; D. Thomam contemnendos esse arbitror, quippe quos, & ipsos ingenio præstitisse, & à græcis multa accepisse certò sciam. Atque de facultate cum iudicandi, tum inueniendi hactenus, qua, qui erit præditus, facillime omnia præcepta, quæ de Arte dicendi; omnia quæ de poematum generibus, scripta sunt ab Aristotele, percipere poterit. Nam hæ omnes Artes siue facultates miro quodam uinculo inter se iunctæ sunt, & quoniam, ut doctissimi omnes uiri tradiderunt, præclarum, & diuinum hoc animal homo ad agendum, & contemplandum est procreatum; & ad hunc usum, & inuenta, & mandata litteris sunt illa, quæ dixi instrumenta. Homo qui iam Dialectica facultate est præditus, ad philosophiam debet accedere. Ad quam dices? Ad eam ne quæ est de uita, & moribus, & quæ pertinet ad administrandam Rempub. an ad eam potius quæ posita est in cognitione rerum occultarum, & pulcherrimarum quæ in natura sunt? Per

multi

multi fuerunt, mi Donate, qui eam philosophiæ partem, quam physiologiam, proprio nomine dixerunt ueteres, omnino reprehenderent, & superuacaneum omne studium, quod in ea ponimus, existimarent, cuius sententiæ auctor fuit Socrates ille uir longè omnium uetustatis testimonio optimus, & sapientissimus; qui quidem cum quæ supra homines essent, ad homines nihil pertinere; & in eo tantum nobis esse elaborandum, ut boni essemus, & reliquos iuuaremus, arbitraretur; primus philosophiam è cœlo in Vrbes, & in priuatas domos deuocasse dicitur: in qua sententia si multi fuerũt apud ueteres, qui uerum cultum, hoc est Deum ipsum uel ignorauerũt, uel certè non ita ut nos, cognouerunt, quantò uerisimilius est plures hac tempestate esse, qui eam philophiam nõ modò negligant, uerum etiam perniciosam, si Aristotelem, qui eam imprimis complexus est, sequamur, putent. Nam cum nobis compertum sit pulcherrimum hunc quem uidemus Mundum esse à Deo opt. max. ueluti à quodam architecto, momento temporis effectum, atque incredibili ordine, summaq; prouidentia, regi, atque administrari; nosque homines diuina quadam mente præditos, esse in hanc lucem editos, ut summam eius bonitatem, & cognosceremus, & admiraremur uiuentes, post mortem uerò illuc iremus, ubi nullius rei indigẽtes sempiterno æuo frueremur immortales; cum hæc omnia nobis, qui Christiani sumus, perspicua sint, quid est

(inquiunt)

Qua ratione ſit in Ariſtotele uerſandum, (*inquiunt*) *cur Ariſtotelis ſubtiliſsimi, & acutiſsimi hominis argutias de Mundi æternitate, de prouidentia Dei, de animorum noſtrorum immortalitate ſtudioſe legamus? Præſertim uerò cum argumentis ductis illis quidem à fallaci noſtrorum ſenſuum cognitione, id conetur probare, quod à ueritate longiſsimè abeſt, & repugnat illi religioni in qua nati, & educati ſumus, & quam uerißimam eſſe inter nos conſtat. His hominibus ego certè, quanquã timidè, audeo aduerſari, quandoquidem ijs nituntur rationibus quæ uerißimæ ſunt, & quæ euerti uix poſſunt: tamen nunquam in eam ſententiam adduci potui, ut crederem pulcherrimam hanc philoſophiæ partem propterea eſſe negligendam. Si.n. hæ adhibeantur cautiones primũ ne putemus Ariſtoteli in omnibus rebus quas tractauit, ueluti Deo eſſe aſſentiendum; deinde ne in eius libris legendis, quod plerique faciunt, tantum temporis ponamus, ut omnia officia, quæ in hac uita præſtanda ſunt, præter mittamus; quid eſt, aut eſſe poteſt tam pulchrum aut tam fructuoſum quam phyſiologia? quippe quæ, & facultatis Medicæ principia doceat, et Eloquentiæ, Arti Poeticæ, & reliquis omnibus Artibus maximo eſſe uſui uideatur. Ad eas uero uirtutes, quæ in actione ſunt poſitæ quantum afferat momenti, hinc perſpici poteſt facillime. Nam ut de illa reliquarum omnium uirtutum regina, & matre Iuſtitia; qua, qui p[illegible]æ[illegible]iti ſunt, boni uiri appel-*

lantur,

lantur, primum dicam; quis cum quatuor illa rerum omnium principia, & omnes uniuersi orbis partes, tam admirabilem ordinem, & æquabilitatem seruare animaduerterit, non statim intelliget, auaritia, & cupiditate multarum rerum nihil esse turpius, & magis contra naturam? Quis cùm didicerit illud, quod uerissimũ est, hominem esse portiunculam uniuersi; & longissimam quam possit uitam ducere, esse tanquam momentum temporis, hancque esse legem naturæ perpetuam, & immutabilem; ut omne quod factum est, corrumpi, & dissolui in prima principia necesse sit; quis inquam, cùm hæc omnia à philosophia hauserit, erit qui ullam rem in hoc breui uitæ curriculo admiretur, aut magnifaciat, ac non potius pericula adeat; & mortem etiam ipsam pro salute patriæ, & pro honestate libenter oppetat? Affert eadem multos usus ad temperãtiam, ad prudentiam, ad liberalitatem, quos omnes prætermitto, est.n.hic locus tractatus à grauissimis philosophis copiosissimè. Verum ad obseruantiam, & pietatem erga Deum quam nos excitet hæc philosophiæ pars, quoniam Christiani sumus, libet dicere. Nonne ex rerũ quas uidemus, motu, primam illam substantiam, hoc est, principem illum omnium rerum, & administratorem Deum, omnium motionum fontem, & originem cognoscimus? cuius opera cum consideramus, nonne summam eius potentiam, & sapientiam admiramur, & incredibilem bonita-

tem, summa quadam pietate, & castissimo cultu uenera-mur, & colimus? Disputauit Aristot. de Mundi æter-nitate, de animo, de prouidentia ipsius Dei, sed quemad-modum ut homo, de rebus caducis, & mortalibus diuina quædam uidetur excogitasse; excogitauit. n. multarum re rum principia, & causas; ita cum res cœlestes, & diui-nas attingere uoluit, facilè ostendit se, quamuis fortasse reliquos omnes mortales ingenio superaret; esse tamẽ mor talem non diuinum. Sed de his hactenus. Illud etiam te moneo, ne in hac philosophiæ parte, in qua de principijs agitur, consenescas, nihil. n. potest esse stultius, sed per-gas ad eam partem, quæ effectus ipsius naturæ, hoc est (ut ego interpretor) opera ipsius Dei continet. Nec ue-lim illos audias qui sic dicunt, græcos interpretes qui sanè diligenter totam illam philosophiæ partem illustrauerũt, hac tantum in re de nobis esse bene meritos, quod uerba Aristotelis interpretentur, Auerroim quòd optime de rebus commentetur, & in digressionibus præclarè se ge-rat; latinos, quòd in disputando, eorum ingenium, atque doctrina maxime eluceat. Hæc qui dicunt, non multum meo iudicio uersati sunt in græcis scriptoribus, uel certè non intelligunt quid sit commentari, & quid sit disputare. Quod si commentari, est, alicuius rei quæ in natura sit, causas, principia, effectus inuestigare aliqua ratione, & inuenire; quis est hac in re cum Themistio, Simplicio, Phi

lopono,

lopono, sed imprimis cum Alexandro peripatetico conferendus? Si disputare est primum fontem, & originem dubitationis cognoscere; deinde, argumenta, quæ difficultatem afferunt, in medium afferre, eaq; soluere; quem eidem, quem paulò ante nominaui, Alexandro, hac etiã in re comparabimus? qui potest sensa ipsius Aristotelis percipere; eidem, mihi crede, commentari, & disputare facillimum est. Tertio loco accedendum est tibi ad eam philosophiam, quæ uerè philosophia est appellanda, nempe ad eam partem, in qua benè uiuendi, familiæ ac Reipub. rectè administrandæ præcepta ab Aristotele traduntur; cui propterea physiologiam esse præponendam putaui, quoniam in ea nonnulla disputantur, quæ ad hanc rectè percipiendam, sunt necessaria; ut, quæ & quot sint animi facultates, & etiam quoniam ad administrandam Ciuitatẽ, quod est ultimum illius facultatis, ætas matura requiritur. Interpretes multi interierunt iniuria temporum. Eustratium habemus, qui sanè diligenter legendus est. Ego puto Ciceronem nostrum, & Plutarchum loco interpretum esse adhibendos, à quibus eosdem ferè locos, quos tractauit Aristot. tractatos copiosißime, & perspicuè uidemus. Sed (optime Donate) ultimum est in hac philosophiæ parte, hic scopus, non solum cognoscere quid sit uirtus, & quid sit beatitudo; sed è uirtute, hoc est, beatè sine ulla uehementi perturbatione uiuere, quod ut

Qua ratione sit in Aristotele uersandum; consequaris, honesta uiuendi ratione, & consuetudine optimorum hominum enitendum est. Postremo loco, ij libri, quibus Aristoteles ea, quæ non solum cogitatione, uerum etiam re à materia secreta sunt, tradere conatus est, in manus sumendi sunt; in quibus libris, qui Metaphysici nominantur multa repetuntur, quæ sunt in alijs locis tradita; habebis in eos, cōmentarios Alexandri illius peripatetici, ut nonnulli opinantur, ut ego autem existimo, hominis græci, diligentis, eruditi, & perspicui; non autem Alexandri. Sin uerò aliquandò incideris in aliquem locum ubi illius interpretis desideres industriam, uti poteris Auerrois, & D. Thomæ commentarijs qui uiri illam partem ut illustrarent, mirum in modum elaborauerunt. Hæc ueniebant in mentem, quæ hac de re, in qua, tot, & tam uariæ extant hominum sententiæ, ad te scriberem. Meum iudicium si probas; da operam omni studio, ac diligentia, ut Aristotelem græcè, eo ordine, ea moderatione, ijs interpretibus, quos dixi, adhibitis, studiosè legas. Sin autem, tibi nihil hac de re dixisse uideor, agnosce saltem meam erga te beneuolentiam. Reliquum est, ut hoc unum tibi persuadeas, neminem esse ex tuis æqualibus, à quo tam multa, & tam præclara, quàm a te expectentur. Nam ut omittam ingenium, modestiam, & probitatem tuam; quibus tibi magnam opinionem doctrinæ, & innocentiæ concitasti; habes domestica exempla, quibus quo

tidie

tidie ad omnem laudem commouearis. Etenim in ea fami lia es natus, in quam summam gloriam Hieronymus Donatus uir doctissimus, & de nostra Repub. optimè meritus intulit; ex matre autē fœmina lectissima, quæ cū illius hominis, qui omnes qui patrum ætate uixerunt, sine controuersia; iudicio, et eloquentia superauit, soror fuerit, debes tu eam quotidie intuens ad omnem gloriam uehementer incendi, atque inflammari. Hæc scribebam ijs diebus, quibus bacchanalia celebrantur; quæ si tibi (quem mirificè diligo) grata erunt; me incredibilem utilitatem, & uoluptatem cœpisse arbitrabor.

Qui mores in ciue Veneto requirantur ad Aloysium Contarenum.

Superioribus annis, cum essem admodum adolescens; ea ferè ætate, qua tu nūc es, ex multis Bernardi Nauagerij auunculi mei, quibus semper libenter interfui, sermonibus, collegi præclara quædam præcepta, quæ ad formandum, instituendumque Venetum ciuem maxime pertinēt; quorum nonnulla, cum ab eius patre sapientissimo homine, quædam ab Andrea Naugerio eius gentili, se accepisse diceret, ego nihil mihi quicquam fore aut honestius, aut honorificentius putabam, quàm si grauissimos uiros, quorum memoriam, & amo, & colo, loquentes facerem,

& di-

et diuina ipsorũ documenta in dialogum referrem. Quod cum tentassem superioribus annis, & rem totam tribus libris essem complexus, nonnihil me consecutum esse arbitrabar. Nunc autem (liberè ut dicam) diligenter eos libros recognoscens, quædam extra rem; multa ineptè; omnia ferè pueriliter me scripsisse animaduerti. Quamobrem ex scriptis diuini Platonis, qui profectò sanos homines à scribendis dialogis, & deterruit semper, & deterrebit, & M. Tullij prudentissimi hominis qui secundum Platonem, ea in re, summam laudem est adeptus, potissimum admonitus; non sine meo dolore decreui, hos, quos dixi dialogos; in quibus scribendis, magnam Adolescentiæ meæ partem collocaui, et ex quibus aliquando maximam ad nostros adolescentes utilitatem, & ad me non mediocrem laudem redũdaturam speraui, igne, & flammis consumere. Et (ut ego quidem existimo) non imprudenter feci; tum, ne multitudinem malorum librorum quibus obruimur, & nostra studia retardantur, ego etiam augerem, tum maxime ne testatam, ijs qui futuri sunt, meam impudentiam, qui post Platonem, & M. Tullium dialogos ausus sim scribere; relinquerẽ. Ego. n. sic existimo, mi Aloysi, difficilè semper fuisse, aliquid inuenire dignum monumentis literarum; Nunc autem difficilius post tot nobilissimos scriptores; Sed longè omnium difficillimum opinor semper fuisse, et nunc esse, dialogos rectè scribere. Qui. n.

uerum

uerum à falso; bonum à malo discernere, qui reprehendere, qui irridere, qui docere, qui delectare omnibus in locis uult; ut id consequatur, diuinum quiddam, quod Platoni ab omnibus philosophis est tributum, & Ciceroni nostro merito tribui potest, in eo insit, necesse est. Quod cum mihi minime à natura concessum esse intelligam; conuerti me ad scribenda, Isocratico more, præcepta sapientissimorum hominum idque feci libenter, quoniam ijs quos permultos esse arbitror, qui Reipub. seruientes laudem sibi proposuerunt, fore admodum utilia, certò scio. Cum ego sæpe ab eo quem nominaui auunculo meo exquirerē, quale esset suum de Reipub. nostræ forma iudicium, illud respondere consueuit, administrationem qua nunc gubernatur Veneta respub. uel optimorum uirorum administrationem, uel siquod aliud genus nobilius adhuc potest excogitari; eo nomine esse appellandam. Et quemadmodum Aristot. uir sapientissimus scriptum reliquit, ut uariant rationes administrandarum Ciuitatum; ita in ciuibus uaria uirtutū genera desiderantur; sic statuit Venetam Rempub. ut esset requies, & portus Christianorum, & innocentissimorum hominum; originem duxisse, non ui, non armis, non fraude, sed legibus, innocentia, ut esset Italiæ, & totius orbis terrarum decus, & ornamentum, & perfecta Reipub. forma, diuinitus à Deo opt. max. constitutam. Et quoniam qua augentur; eadem etiam ratione con-

ne con-

ne conseruantur omnia, quæ infra globum lunæ sunt; idcircò quasdam uirtutes, Venetò homini proprias, sine quibus præclaræ huius Reipub. bonus ciuis haberi non possit; iudicat. Atque cum à me aliquando dubitatum esset, utrum sine literarum cognitione, magnas utilitates afferre Reipub. & laudem sibi aliquis posset comparare; ita concludit; studia doctrinæ maximo quidem ornamento hominibus, & magno usui esse Reipub. consueuisse, tamen non ita in Veneto ciue desiderari, ut maiora nō requirantur, & ut sine ipsis, hæc, quæ ad tantam amplitudinem peruenit Respub. conseruari non possit. Pietatem erga Deum, innocentiam, Iustitiam, patientiam, animi magnitudinem, industriam, & frugalitatem, proprias fuisse semper Venetorum uirtutes, ijs Rempub. semper defendisse; tantum, et tam latum Imperium propagasse; & denique immortalem apud omnes gentes, maiores nostros gloriam esse consecutos prædicat. Quòd si aliquis sit, in quo istarum uirtutum, nullum uestigium appareat, eum qui in hac nobilissima Ciuitate, et in hac florentissima Repub. nasceretur indignum censet. Verum, si ijs (quas enumeraui) uirtutibus, accedat doctrina, & rerum occultarum cognitio; eo homine in hac uita, neq; præstantiorem, neque beatiorem inueniri posse, putat neminē. Idcircò optimus, & prudentissimus uir, nihil solet tam detestari in nostra Ciuitate, quàm otium, & inertiam,

quæ

quæ fons, & origo omnium scœlerum semper fuit, et pestis adolescentiæ. Hanc ob causam ut adolescentes prima ætate uel ad studia literarum, uel ad mercaturam animũ adijciant, non solum utile, uerum etiã necessarium arbitratur Reipub. Quod ad studia doctrinæ pertinet, non instituimus perfectum hominem, qui eruditus dici posit; omnia ad usum Reipub. referimus, si coniuncta sit summa doctrina, non solum eum hominem in quem tot beneficia contulerit Deus, laudamus, uerum etiam admiramur, & colimus. Cognitionem historiarum, & præcipuè earũ rerum, quæ à maioribus nostris gestæ sunt, quas qui ignorat, puer est, & inops semper consilij, philosophiam de uita, & moribus, eloquentiam, idest prudentiam copiosè, & liberè loquentem desiderat. Multa genera negotiationum; sed eas imprimis peregrinationes, ex quibus, et opes augeri, & usus rerum comparari potest, uehementer probat. Progredi solet longius, & animaduertere consueuit quædam, quæ quamuis leuia plerisque uideri posint, sunt tamen necessaria. Nihil esse turpius libidinosa, & procaci adolescentia; nihil tam indecorum, quàm uerborum obscœnitatem, pluribus uerbis solet affirmare. Quare laudat mirum in modum eos patres, qui filios suos disiungunt, & diuellunt à consuetudine multorum. Pessimus. n. est morum magister, & institutor populus; & nihil est tam tenerum, nihil tam flexibile, nihil tam lubricum quàm ado

lescentia. Cuius quidem ætatis modestiam, ut etiam sapientissimi uiri tradiderunt, ornamentum esse arbitratur; quæ uirtus in minuendis, & celandis ijs, quæ in nobis alij admirantur, potissimum est posita. Quare gaudebat ille senex apud Terentium, quòd filius suus hãc uitæ rationem sequeretur; Eorum obsequi studijs, aduersus nemini, nunquam illis præponens se, ita ut facillime sine inuidia, inuenias laudem, & amicos pares. Ex quo quidem præcepto quod maxime utile puto omnibus adolescentibus, uitari potest inuidia, quæ quidem, etsi aliquam uirtutem, quæ & sequenda, & expetenda est, fere semper sequitur; est tamen magno studio ac diligentia, in nostra præsertim Repub. fugienda. Studium contendendi, tum quod solet esse indicium uel maximum imperitiæ; tum quod qui de omnibus disputat, & contra omnes; multorum odia in se concitet, necesse est, magnopere uituperat; non probat curiositatem multis de causis sed præcipue, quia ea sæpe retardantur à studijs adolescentes. πολυφιλίαν imprimis externorum hominum non solet laudare, partim quia magnum periculum est, ne non omnibus posimus satisfacere; partim quoniam id neque utile est Reipub. neque gratum his ciuibus, quibuscum uiuimus, & quibus honestè uiuendo, magnopere cupimus probari. Pluribus uerbis me adolescentulum hortari consueuerat, ut senum, eorum imprimis, qui, & cognitione rerum præstant, & auctoritatem habent in

bent in

bẽt in Repub. consuetudine uterer, inde me percepturum maxima commoda, scientiam rerum, prudẽtiam, iudicium, auctoritatem demum apud omnes. Hanc fuisse consuetudinem Romanorum, hanc maiorum nostrorum. Quod quidem prudentissimum præceptum cum seruauerim, utilitatem cœpi maximam. Nam cum à Petri Francisci Contareni, qui nunc Vrbis nostræ est patriarcha; hominis (ut ego arbitror) in omni disciplinarum genere præstantissimi, & ipsius, a quo hæc omnia audiui, Bernardi Nauagerij auunculi mei, uiri doctissimi, & prudentissimi latere, quoad possem, & mihi liceret, nunquàm discederem, sentio me multa, & præclara; & fortasse multò plura quàm ex philosophorum literis, didicisse. Ita instituere solet paucis uerbis Venetum adolescentem. Et quoniam ipse; non ut mathematici, uel ut medici fecerunt, sed ut homo uersatus in Rẽpub. hominis ætatẽ diuidit in tres partes. in Adolescentiam, quæ est flos ætatis, & quæ sæpe, qui futurus sit ciuis, non obscura dat indicia: inmediam ætatem, qua ciues ad Rempub. accedunt, & primos solent petere magistratus: in senectutem, cui amplissimos omnes magistratus, et totius ferè Reipub. administrationem maiores nostri semper detulerunt. Antequàm ad Rempub. aliquis aggrediatur, admonet, qua potissimum in re commodis Reipub. sua etiam cum laude possit seruire; diligenter ut cogitet. Cum.n.in nostra Ciuitate, multi

Qui mores in Ciue Veneto requirantur, & uarij instituti sint magistratus, perniciosi ciuis est honoris studio; & cæca fictæ, & simulatæ laudis cupiditate, nulla Reipub. ratione habita, eum magistratum, quem ipse non pro dignitate, & multi præclarius possent gerere, diligenter petere; quod quidem non modò est mali ciuis, uerum etiam parum prudentis hominis. Etenim præterquam quòd Reipub. ratio negligitur; pro qua non modo honores contemnere; uerum etiam si opus sit, mortem non recusare oportet, suam etiam plerique hac ratione imprudentiam, & omnium rerum imperitiam patefaciunt. Varia sunt ingenia hominum, uaria solent esse in nobis adolescentibus studia. Vnusquisque naturam sequatur suam, & studeat, quæ adolescens didicit, aliquandò ad Reipub. commoda referre. Qua in re, sapienter (meo iudicio) statuit, á uiro bono in nostra Repub. uel non quærendos esse honores, uel certè quàm modestissimè petendos. Si.n. diligenter rem ipsam consideremus; uerissimum est illud Platonis; honores qui in Repub. dantur, uiris bonis esse labores; & ideo nisi ab auaris, et ambitiosis, summo studio, summaque diligentia, quæri consueuisse. Multa ab ipso sæpe (me præsente) dicta sunt, de ratione salutandi, & petendi magistratus, quorum hæc est summa. Nihil esse ineptius, cùm simus in Repub. nati libera, & florenti, quàm omnibus assentari: nihil esse miserius, quàm pendere ex iudicio multorum, nihil calamitosius,

quàm

quàm tanta mercede, hoc eſt, tot, tantiſque laboribus, & tanta ſolicitudine animi, tam exiguos honores emere. Verum ut eſt hominis leuiſsimi, & ambitioſi, ſalutationibus, & prehenſationibus, aucupari ciuium gratiam; ita exiſtimat eſſe duri, ne dicam ſuperbi ciuis Rempub. fugere, abdere ſe in ſolitudines, & omnes honores contemnere. Præclarum eſt prodeſſe Reipub. ad hoc nati, ad hoc in lucem editi ſumus. honeſtum, & expetendum, magiſtratus conſequi amplißimos, neque id nobis tantum, uerum etiam poſteris, & familiæ ornamentum, & ſplendorem affert. Sed illud Plauti probandum, & in ore habendum ſemper eſt.

Virtute ambire oportet, non fauitoribus.

Neque ſiquis ſalutationibus, & aſſentationibus in Repub. maximos honores eſt adeptus, ſe quicquam præclarum eſſe conſecutum debet exiſtimare. Virtutem honor; ut umbra corpus ſequitur. Virtus ſi abſit; inane, & uanum eſt honoris nomen, & profectò ita ſe res habet. incredibilis eſt uis ipſius uirtutis, & nihil eſt tam populare quàm bonitas, & innocentia. Omitto externorum hominum exempla, Domeſticis libenter utor. Andream Contarenum gentilem tuum, nonne in hiſtorijs legimus, abſentem, & principatum per litteras recuſantem, Principem declaratum? Qui demum is fuit Princeps qui noſtram Rempub. Sanctißimis moderatus eſt inſtitutis

& le-

& legibus. Verum quid uetera commemoro? M. Antonium Triuisanum quem superiore anno Principem uidimus, nonne principatum non semel recusasse, & à patribus saepe summis precibus contendisse, ut quemlibet potius alium, quàm ipsum ad illum honorem, eueherent, scimus. Neque id tamen, quoniam nihil erat tam amplum, nihil tam illustre, quod ob ipsius innocentiam, & integritatem ipsi non deberetur, à patribus potuit impetrare. Quamobrem, is qui fuit, nunc etiam esse debet mos Venetorum hominum, imprimis, ut demus operam, ut omnibus magistratibus dignissimi, secundo loco, ut digni habeamur à bonis, postremò ut eos, tanquam occasiones iuuandae Reipub. & testimonia benè actae uitae consequamur. His pulcherrimis praeceptis unum aliud plane diuinum consueuit adiungere, quod à maioribus nostris fuit obseruatum, & obseruatur nunc etiam à permultis, ut ex administratione Reipub. nihil in priuatam domum praeter honorem inferre studeamus. Verum quoniam ego aliquando dubitaui, numqui Rempub. nunquam attigit, cum ex uirtute in Ciuitate uiuat, bonus ciuis, & haberi, & dici possit. Hac de re sic iudicat; prodesse illum quidem magis Reipub. qui, consilio, & auctoritate, suadendo, & dissuadendo, de uectigalibus, de bello, & pace, de legibus Reipub. consulit. Sed tamen in Repub. desiderari etiam homines ab omni administratione semotos, & imitantes

Socra-

Socratem illum, qui, adolescentes, ad uirtutem excitabat, & eos, in his quae ad Rempub. gubernandam pertinent, diligentissime instituebat: Profecto sapienter statuit. Etenim fortasse non minus profuit Atheniensibus hortando, & formando ad uirtutem adolescentes, Socrates, quàm in concione, & in bello Themistocles, Pericles, & Demosthenes. Non est tamen optandum, ut omnes ciues totum tempus, in rerum occultarum inuestigatione, & in disputando consumant: nihilominus si aliqui sint, qui, ea uiuendi ratione delectentur, inutiles ciues minimè haberi debent. Tryphon Gabrielus uir optimus, in quo, nostra aetate Socratici mores maxime cernebantur, nonne iuuit nostram Rempub.? cum multos ex nostris adolescentibus ad honestatem, & ad studia literarum, auctoritate, & oratione, incenderet, atque inflammaret. Celebratur ab omnibus ferè qui Venetorum historias scribunt, maiorum nostrorũ taciturnitas, qua in re illustre est exẽplum de Carmignolo Imperatore, de cuius perfidia, & sceleritate, cũ Senatuscõsulto decretum esset, poenas esse sumendas, remque in sex menses differri oporteret; post id temporis rerum omnium ignarus, à nemine, quamuis cum multis nobilissimis ciuibus, uetus ipsi intercederet amicitia, admonitus, quas debuit, poenas dedit. Quare ut haec maiorũ nostrorum laus retineatur, praecipere solet auunculus meus; ne de Repub. nisi in Senatu, & eo in loco, mode-

stè, &

ſtè, & liberè loquamur. In ſene qui facile ampliſsimos omnes magiſtratus conſequi ſoleat, omnes quas dixi uirtutes, & præterea ſeueritatem, & grauitatem, quæ ſenectutis uirtutes ſunt propriæ; ineſſe oportere exiſtimat. Seueritas in legum obſeruatione, et ſummo iure obſeruando cernitur. Quare, qui libere in Senatu, contra omnes, qui nunquam in alicuius gratiam, qui ſemper pro legum defenſione, & auctoritate diſputat, is ſeuerus dicitur. Quam uirtutem ſequitur grauitas; quam tantam fuiſſe in maioribus noſtris accepimus; ut multi ſola patrũ noſtrorum grauitate, & uultus maieſtate deterriti, ad principem cum uerba facere uellent, obmutuerint. Et idcircò Senatores qui in amplisſimis magiſtratibus uerſantur, perrarò, niſi in curia, nunquam in locis publicis, gratiam multorũ aucupantes, inueniri debent. Hoc inſtitutum maiores noſtri, hoc idem plerique noſtris temporibus, ſed imprimis patruus tuus uir optimus, et innocẽtiſsimus ſeruat. Hæc omnia præcepta, & permulta alia quæ è memoria exciderunt, ſi copioſè, & ornatè explicare potuiſſem, & dialogum ſcribens, feciſſem de re tam præclara loquentem eũ, quem dixi, Bernardum Nauagerium auunculum meum, nonne præclarum aliquid, et dignũ monumentis literarum in lucem prodidiſſem? Sed tentaui (ut ante à me dictum eſt) & nihil mihi uideor aſſecutus. Vt autem denuò id aggrederer, retardauit me amplitudo, & maieſtas Platonis,

tonis, cuius scripta nobis interpretatur hoc tempore, uir, græcorum omnium, qui nunc sunt optimus, & doctissimus Hermodorus: et Ciceronis etiã nostri in dialogis scribendis, acerrimum iudicium, & admirabilis eloquentia. Ad te autem meum hunc libellum, quo huiusmodi præcepta continentur, mittendum esse iudicaui, quoniam te uehementer amo, & nihil magis cupio, quàm te esse optimum, doctissimum, & beatissimum. Perfecisti, tu primum actum ætatis tuæ; Nam in te omnes, quæ in adolescente laudantur uirtutes, maxime elucent. Reliquum est, ut des operam, ut reliquæ tuæ uitæ partes, quàm maxime cum adolescentia consentiant. Quòd te esse facturum, & spero, & opto.

Quibus in artibus Adolescens Venetus debeat excellere ad Bernardum Zane.

Cum superioribus diebus Romam, cum nobilissima illa legatione, ad Paulum iiij. Pontif. maximum ambo cum Bernardo Nauagerio auunculo meo proficisceremur, & unà pro nostra amicitia familiarissime, & coniunctissime uiueremus, quanquam multa in itinere, mira cum uoluptate animaduertimus, tamen nihil nobis fuit gratius, nihil iucundius quàm cognoscere singulare quoddam omnium erga nostram Rempub. studium, & præclaram

quandam uoluntatē. Quod cū cognoſceremus, non ſolum lætabamur magnopere; ſed etiam intelligebamus nobis omni ſtudio, ac diligentia dandam eſſe operam, ut nos dignos eſſe qui ad adminiſtrandam hāc Rempub. naſceremur, omnes intelligāt. Et quoniā cognitionē literarum afferre non ſolum ijs, qui publico nomine legationes obeunt, uerum etiam priuatis hominibus qui peregrinantur, maximum ornamentum potuimus percipere. Tum inter equitandum non procul à Narnia petijſti à me, quæ potiſsimum ſtudia probarem, & quas potiſsimū Artes in Veneto Ciue requirerem. Mi Bernarde, quanquam eo die, quid ego ſentirem, tibi aperui; tamen quoniam ita uis, meū etiam hac de re iudicium quàm breuiſsimè ad te ſcribam. Sumus nati in florentiſsima Repub. ergo Eloquentiæ diligenter danda eſt opera. Eſt illa ſiue Ars, ſiue facultas regina omnium Artium, & facultatum, & in libera Ciuitate ſemper eſt dominata. Eloquentiam definio ſapientiam copiosè loquentem, in qua qui excellit, præterquàm quòd præclarum habet à natura ingenium; omnia inſtituta Reipub. nouit; legit diligenter hiſtorias; præcepta, quæ à Dialecticis traduntur, didicit, eſt etiam in philoſophia aliquantulum uerſatus. Hac facultate qui eſt præditus, quotidie in Rempub. beneficia poteſt maxima conferre, ſuadere publicam utilitatem, accuſare malos, defendere bonos, hortari, & accendere omnes ad uirtutem,

tutem, & demum cùm legatus est apud Principes, & sustinet Reipub. dignitatem, trahit omnes in sui admirationem. Ergo (meo iudicio) quicunque est natus ad administrandam præstantissimam hanc Rempub. hoc imprimis debet studere; ut Christianam uitam agens, hoc est, uiuens castè, atque integre, ne à maioribus nostris, qui sanctissimi, & sapientissimi fuerunt, degeneret; deinde ut illa, quæ ipse optima, & salutaria Reipub. iudicabit, possit alijs persuadere; Ac imprimis ut illud quod Reipub. est utile, & quid ipsam deceat, possit dignoscere, & historias aliarum Rerum publicarum, & maiorum nostrorum imprimis legerit diligenter, & memoriæ mandauerit, necesse est. Vt autem in Senatu, de ijs quæ in deliberationem cadunt, possit dilucidè, & ornatè dicere, & præcepta, quæ de Arte dicendi à summis uiris, ab Aristotele præsertim sunt tradita, obseruasse; et Oratores etiam summos legisse oportet. Quòd si aliquis dicat, in multis tam præclarum fuisse ingenium, tam acre iudicium, ut sine ulla literarum cognitione, optimi Senatores fuerint, & præstantes etiam Oratores sint habiti. Ego sanè non nego magnam esse uim ingenij, & nonnullos homines nasci ad res præclaras, qui quanquam nulla doctrina adiuuantur, in ipsis tamen apparet præclarum, uel (ut rectius dicam) diuinum nescio quid. Sed profectò si ad præclara ingenia, mediocris quædã accessisset doctrina; nihil il-

lis hominibus excogitari potuisset perfectius. Non est dubium optimarum Artium studia modestos homines effi cere, mirificè quemque delectare, & afferre auctoritatem hominibus incredibilem. Si fieri posset, in omni disciplinarum genere, uellem ut præstantissimæ, & longè omnium optimæ Reipub. ciuis excelleret. Sed quoniam & sumus occupati, & non omnes ad studia literarum nascimur, iccircò omissis his, quæ in doctissimis uiris requiruntur, & quæ hominibus solent gloriam comparare; Eloquentiam (ut dixi) à Veneto Ciue, potissimum postulo, quæ & historijs, & aliqua cognitione philosophiæ alitur, & diligenti lectione Oratorum, & exercitatione comparatur. Et quoniam (ut alios omittam) duo fuerunt lumina Eloquentiæ, Demosthenes, & Cicero; hos diligentissime legendos, eorum præcepta, & sententias animaduertendas esse existimo, quòd ut consequi possimus, græcam, & latinam linguam cogimur discere, Verum non ignoro, quantum, & quàm graue onus imponam adolescentibus, cum ab ipsis, postulem, ut duas nobilissimas, & difficillimas linguas assequantur. Id difficillimũ est; non ignoro, requiritur summa industria, multum tempus; quare optabile est, summis etiam precibus a Deo petendum, ut in hac lingua qua utimur, existant philosophi aliquando, Oratores, & Poetæ; & in omnibus artibus præstantes uiri, quorum scripta legentes, Demosthenem,

Aristo-

Aristotelem, M. Tullium, Virgilium non desideremus. Sed dum hoc ipsum frustra fortasse speramus, est necesse suscipere alacriter hunc laborem, superare hanc difficultatem. Pater Deus in omnes mortales, & in singulas ætates præclara contulit beneficia; priscis illis hominibus ingenium planè diuinum concessit, quo, facillimè inuenirent Artes, & scientias, & admirabile quoddam iudicium, ut eas monumentis literarum possent tradere. Nati sunt, Homerus, Hippocrates, Plato, Aristoteles, Galenus, Demosthenes, M. Tullius, & Virgilius, multi alij planè diuini homines, ut summam Dei liberalitatem testarentur, & mortales in Artium disciplinis instituerent. Multò post secuti sunt alij, & ipsi excellentes ingenio, sed multo sapientiores, & Deo opt. max. (ut credibile est) gratiores. Basilius, Athanasius, Chrisost., Gregorius Nazianz., Theophilactus, Hieronymus, Ambros., August., & plerique alij qui res diuinas, & Christi Dei præclarissima gesta tractauerunt. Nos autem (patre illo ita uolente) in lucem editi sumus hac tempestate, hoc est in maxima confusione linguarum, & omnium studiorum perturbatione; Sed ea in Ciuitate ubi sanctissime, & religiosissime ipse Deus colitur. Qua quidem de re ipsi quantæ maximæ possunt, à nobis habendæ sunt gratiæ; & enitendum est summo studio, ut, quanquam in aliena lingua nati sumus, & his temporibus,

bus,

bus, quibus difficile est in literis excellere, illos tamen ipsos ueteres excellenti ingenio praeditos, optimarū omnium Artium inuentores diligenter possimus legere, & ab ipsis eas Artes discere, quae & Reipub. ad quam omnia nostra studia referre debemus, utilitatem; & nobis honestam quandā post maximos labores uoluptatem afferunt. Neque illorum consilium (ut ego existimo) est probandum, qui existimant superuacaneum esse omne studium, quod ponimus in alijs; praeterquàm in hac, qua utimur, lingua excolenda, qui mediocri quadam, uel (ut rectius dicam) tenui latinae linguae cognitione sunt contenti: graecam ut parum necessariam, quandoquidem ex ea (ut dicunt) in latinum sermonem, omnia ferè sunt uersa, prorsus negligunt; eos qui latinè scribunt, tantum abest ut laudent, ut uituperatione dignos existiment. Haec sententia uereor (Bernarde) ne sit fons, & origo miserabilis cuiusdam inscitiae. Nā per Deū immortalē, cur nos ipsos fallimus? Quae in hac lingua, siue Italicam, siue Hetruscam appellemus, perpaucorum admodum doctorum hominum scriptis exceptis, scripta legimus, quae adolescentiam possint erudire? Quem philosophum relicto Aristotele sequemur? Quem oratorem de rebus grauissimis disputantem imitabimur? Quem poetam praeter unum lyricum cum uoluptate legemus? A quo, Mathematicas disciplinas, ij qui ea cognitione delectātur, discent? Quis ea in lin

gua do-

gua docuit ius ciuile? Quis Artem medicā necessariam humano generi? Natus, & educatus sum (ut scis) in Italia, & ciuis praestantissimae huius Reipub. Utinam illud quod summis precibus saepe orare sum solitus, antequàm ex hac uita migrem, mihi concedatur, ut in hac Italica lingua praestantissimos, & nobilissimos scriptores, legam, & tantam auctoritatem uideam hanc linguam consecutam, quantam isti amantiores quàm par sit nostrorum hominum, nunc consecutam esse existimant, & cognoscam nostros ciues, nullo neque graecè neque latinae linguae praesidio egere. Uerum donec in nostra lingua, philosophia, facultas dicendi, poesis, et reliquae Artes rectissime tradantur, nostris adolescentibus discenda esse, & memoriae mandanda existimo praecepta Grammaticae; & his in lingua graeca, & latina, diligentissime esse uersandum: ipsumque M. Tullium imprimis, optimum latinitatis auctorem, & Oratorem praestantissimum in manibus semper esse habendum. Etenim illius uiri libri, praeterquàm quòd sunt admodum eleganter scripti, & in ijs incredibilis quaedam est Eloquentia; sunt etiam pleni praeceptorum, quae ad benè beatèque uiuendum pertinent, & ostendunt in eo homine fuisse prudentiam incredibilem. Ut.n. incipiam ab orationibus, quid illis ipsis in omni genere excogitari potest perfectius? si tradit praecepta dicēdi, quis est eo homine subtilior? Cū instituit filium, cum de Amicitia,

citia, de senectute, disputat, in quo apparet maior prudentia cum summa Eloquentia coniuncta? Dialogis autem, in quibus, more antiquorum philosophorum, de praeclarissimis quaestionibus; de finibus bonorum, & malorum, de morte contemnenda, de perturbationibus sedandis, de diuinatione, de natura deorum est disputatum, quid esse potest copiosius aut elegantius? Omitto multa alia summi illius uiri scripta. Ipsius epistolas cum legimus, nonne iudicium in eo homine plane diuinum admiramur, & utilitatem maximam, cum intelligamus qua ratione, in hac communi, quotidianaque uita, cum omnium generum hominibus, sit uersandum, capimus? Quare statuo utilissimum esse Veneto Ciui diligenter in M. Tullij scriptis uersari. Probantur alij per multi, è graecis praesertim; Aristot. uir omnium rerum scientissimus, Xenophon, qui philosophico quodam modo scripsit historiam, Isocrates Orator bonus, & maximus philosophus, Demosthenes Oratorum omnium qui unquam fuerunt, facilè princeps, & multi alij grauissimi scriptores. In quibus omne studium ac diligentiam ponens, uehementer requiro, ut aliquandò aliquid etiam ipse scribat. Stylus. n. est optimus dicendi effector, & magister; & nullus unquam tolerabilis Orator fuit, qui plurimum exercitatione scribendi non sit delectatus. Neque satis est, quotidie aliquid scribere, sed adhibenda in scribendo est maxima diligentia; & ea quae scribimus

bimus

bimus, cum uiris doctis, & nostri amantissimis sunt communicanda. Neque certe cum aliquid scribere incipimus, doctorum iudicium est extimescendum, neque (quod plerique faciunt) est desperandum, quò minus ad summam gloriam possimus peruenire. hoc in loco dubitant multi; latine ne, an Italice exercitationis causa scribendum sit; multæ in utranque partem afferuntur rationes, quas non admodum difficile, sed tamen longum, & fortasse superuacaneum esset persequi. laudo omne genus exercitationis. placuit mihi usque a puero, scribere latine, hoc est, in lingua nobilissima, & quæ adhuc dignitatem Romanæ Reipub. & totius Italiæ (mea quidem sententia, retinet: non peto ut meum studium quàm maxime probent, & admirentur homines; modo id non uituperent, nullam aliam laudem postulo. Exercitationem autem, & industriam illorum qui Italicè, uel hetruscè scribunt, non modo non reprehendo, uerum etiam uehementer laudo. Quod si in aliquem uirum aliquando incidero, qui scientias, & Artes humano generi necessarias, hac lingua ita tractet, ut ueteres scriptores non requiramus, illum ego uirum præstantissimum, & de nobis omnibus optime meritum, summisque honoribus dignissimum esse prædicabo. Neque uelim aliquis credat, me fastidio quodam delicato, nostros scriptores, hoc est, hetruscos non legisse. Delector Bocatio mirum in modum. scribit. n. ille uir eleganter, lego liben

Quibus in art. Adolesc. Venet. debeat excellere,

ter Petrarcham; Cur. n. non debet in suo genere haberi perfectus? Ac ut omittamus omnes qui uiuunt, & utamur amicissimi adolescẽtis exemplo. Quis Nicolai Barbadici nostri elegantissimis scriptis non delectetur? Transfert ille adolescens è græcis, & latinis scriptoribus, in nostram linguam quasdam sententias ita uenuste; hisque tanto iudicio pro suis utitur, ut omnes in sui admirationem trahat: qui cum ætate processerit; & studium operamque in rebus præclaris tractãdis collocabit; Deus bone quàm magnus est futurus Orator. Itaque modo Venetus adolescens adhibeat exercitationem in scribendo; uel latine, uel Italice scribat, utrumq; laudo. Quanquã ego sic existimo, qui aliquandiu latine nõ scripserit, ut fecit is, quem nominaui, Barbadicus noster, nec optime potest scire latine, nec eleganter fortaßè scribere Italicè. Sed hac de re, docti uiri sint Iudices. Et quóniam non in Senatu, & in legationibus tantum, sed etiam in iudicijs Respub. opera nostra eget; existimo esse necessarium ut Venetus Ciuis, antequã ad Rempub. accedat, intelligat, quid sit ius, quid honestum, quæ sit ratio conficiendorum testamentorum, qui debeat alicui succedere, & multa huiusmodi, quæ elegantissime sunt à Iure consultis romanis tradita, & in quatuor libros à Iustiniano Imperatore relata. facilis est ea cognitio, si modus adhibeatur, si referatur ad usum Reipub. & (meo iudicio) est maxime necessaria.

Nec

Nec eorum sententia mihi probatur, qui existimant, quoniam iure quodã municipali utimur, idcircò ius ipsum Romanorum, & responsa sapientissimorum hominum esse negligenda; quasi uerò non ab eodem fonte, hoc est, à natura ipsa, & ab æquitate, Romanorum, & Venetorum ius manet. Decreta etiam maiorum nostrorum diligentissime legisse oportet. Turpe. n. est ciui, quid in sua Repub. lege cautum sit, quid in potestate Iudicum relictum, nescire. Et certè satis mirari non possum, quamobrem homines, hanc cognitionem, & iucundam, & necessariam negligant, et tantum studium ponant, ut sciant, quid sit materia prima, quid forma, quid locus, quid motus, quid tempus, an detur infinitum, an sit in rerum uniuersitate uacuum; animus sit unus, nec ne, & pleraque alia, de quibus meras nugas scripserunt philosophi, & sunt uerissime tradita in ea scientia, quæ est de Deo, & de Christo ipsius filio. Nimirum ambitione ducimur mortales, & haberi potius summi uiri, quàm esse utiles ciues uolumus. laudo philosophiæ studium, Quis. n. adolescens maiorem quàm ego, ex ea uoluptatem cæpit? Sed nostra studia ad Reipub. commoda aliquando esse referenda existimo. Quòd siquis utrumq; consequi posset, ut teneat primum ea omnia, quæ requiruntur in eo ciue, qui Rempub. sit administraturus, deinde his rebus difficillimis etiam delectetur, eum summopere esse laudandum arbitror. Vel siquis Reipub.

Quibus in art. Adolesc. Venet. debeat excellere,

onus relinquat cæteris, & totum se conferat ad contemplationem abditarum rerum, eum non ausim uituperare. Illud ferre non possum, quòd homines in rebus non necessarijs tantum studium ponant; et cum ipsis sit propositum gubernare Rempub. nullam diligentiam adhibeant, in percipiendis his artibus, quæ ad gubernandam Remp. requiruntur Qui cum essent adolescentes, uel impediti ualetudine, uel parentibus orbati, uel quod ad exercendam mercaturam peregrinati sint longo tempore, literas discere non potuerunt, sunt magnopere excusandi. Hi autem homines, qui, cum semper in libris fuerint, nihil tamen didicerunt, ex quo, utilitatem capere posit Respub. excusari certe nullo modo possunt. Et quoniam cognoscendæ sunt distantiæ, & situs Oppidorum, & Ciuitatum quæ sunt huic Imperio subiectæ; idcircò Cosmographiæ cognitionem utilem esse existimo, quæ & iucundissima, & cognitu facillima est: Hæc studia (ut ego existimo) à nobis Respub. flagitat; his, & prodesse Reipub. & nobis ad amplissimos honores aditus facere possumus. Si cum his studijs coniuncta sit cognitio, rerum occultarum quæ in natura sunt, disciplinæ Mathematicæ, & perfecta quædam rerum diuinarum scientia, quemadmodum hæc omnia in Hermolao Barbaro, Hieronymo Donato, & in Gaspare Contareno Cardinale fuisse accepimus, eos homines in quibus illa insunt, & longè omnium præ-

stantis-

stantissimos, & diuino beneficio ad augendam Reipub. dignitatẽ nasci existimamus. Ea, quæ existimaui esse necessaria Veneto ciui, facillime percipi possunt. Sed unusque imprimis naturam debet suam sequi, & ad quod se natum esse intelligit, in eo maxime elaborare. Nonnulli sunt nati ad Eloquentiam, ij diligentissime omnia Rhetorum præcepta discant, legant historias, obseruent instituta Reipub. Alij audientibus multis, loqui nec sciunt, nec possunt; hi summã diligentiam adhibeant in iure ciuili cognoscẽdo, ut de quacũque cõtrouersia, & facile, & rectè possint iudicare. Optime Bernarde, hoc est meũ hac de re iudicium, quod quidem nõ ignoro, quã sit multis de caussis parui faciendum. Quòd obsecutus sim tibi, quem summopere ob præclarum ingenium, & singularem erga me beneuolentiam amo, in re tam honesta, uberrimum huius quem suscepi laboris, fructum existimo. Tu quanquam hortatione mea non eges, tamen patere ut te uehementer rogem, ut ad gloriam contendas. Habes (mihi crede) à natura optimum ingenium; es natus ad res maximas gerendas. Perge igitur ut facis, & quotidie aliquid, aut lege, aut scribe, & licet adolescens uxorem duxeris, ut tibi aliqua rerum familiariũ cura sit habẽda, tamen uelim scias, uel occupatissimis etiam hominibus, tum in familia, tum in Repub. administranda, non defuisse otium, ut in studijs literarum possent diligentissime uersari. Qua autem ra-

tione

tione ex grauissimorum hominum sententia; instituí debeant adolescentes, in his quæ ad mores pertinent; quæ uitia potissimum in nostra Repub. cauenda, scripsi in eo libello, quem ad Aloysium Contarenum, superioribus diebus misi; quem si cum hoc ipso coniũxeris, intelliges, quem ego existimem perfectum ciuem; hoc est, dignum qui in Veneta Repub. nasceretur.

De Commentarijs conficiendis memoriæ causa ad Aloysium Contarenum.

Dubitatum est à te, cum ego, & Nicolaus Barbadicus adolescens (ut ego existimo) & ingenio, & cognitione multarum rerum, admiratione dignissimus, apud te cænaremus, utrum tibi utile futurum esset, si construeres tibi quosdam commentarios ueluti thesauros, & subsidium tuæ memoriæ, in quos singulis diebus, quæ à doctissimis uiris accipis, & quæ per te legis, referres. Et profecto non sine causa dubitasti. Permulti enim cum pendeant ex huiusmodi commentarijs, negligentes fiunt, & nihil ipsi per se inuenire, nihil ex improuiso in medium afferre possunt. Præterea cùm ea tantum in re, suum studium, & diligentiam ponant, & uerissima putent ea omnia, quæ animaduerterunt, plerunq; ea affirmant, quæ sunt dubia; & profitentur se id scire quod nesciunt. Hanc ob causam Socrates

crates apud Platonem in Phædro, non solum hos, quos dixi, commentarios, uerum etiam literarum inuẽtores quodam modò irridere, & reprehendere uidetur. Hæc in commentariorum uituperationem dici possunt, quod negligentes homines faciunt, quòd immemores, quòd audaces; sed meo iudicio his rationibus nihil concluditur. Nihil. n. nos in commentarios nostros, referendum esse consemus, quod non optimè perceperimus: quod nostrum quasi non sit, & uerbis nostris eandem sententiam significantibus non sit expressum. Neque propterea nos colligimus ex ueterum libris multa, ut ea omnia nos inuenisse existimari uelimus, uel ut ea semper, ubique, & apud omnes usurpemus; sed ut quandò opus est; ex nostris laboribus aliquod commodum percipiamus. Neque profectò in nobis omnibus ea est memoria, quæ fuit quondam in Themistocle, & in Hortensio, ut quæcunque in nostra uita legimus, aut egimus, recordemur; fit sæpe, cum occupationibus, tum morbis etiam ipsis, ut multa è memoria diffluant, quæ sanè aliqua ratione posse in memoriam reuocari iucundissimum est. Ergò prudẽtissimorum uirorũ iudicio, nihil inueniri potuit præstãtius, aut utilius humano generi, quàm literarum monumenta, quibus sapientissimorum philosophorum inuenta, fortissimorum hominum, qui pro patria mortem obierunt, memoria, leges, & instituta Rerumpub. custodiuntur. Quid? Nisi literæ quibus magnopere adiu

tisu-

ti sumus, extitissent, qua nam ratione, post miserabilem illam externarum gentium irruptionem, nos à barbarie uindicare, potuissemus? Sed de hac re non est institutus sermo. Ad commentarios nostros reuertamur, quos quidem memoriæ causa esse conscribendos existimo; et huius meæ sententiæ auctores habeo grauissimos uiros Aristotelem Marcum Tullium, Plutarchum, & Plinium, quos omnes hanc adhibuisse diligentiam perspicuum est; Nam, & apud Aristotelem mentio sæpè fit τῶν ὑπομνημάτων, & Cicero se scripsisse commentarios testatur. De Plinio uerò, et Plutarcho apertius est, quàm ut probatione opus sit. Omnia.n. opera quæ extant Plinij, commentarij potius quam opera perfecta uidentur. Plutarchus autem de multis rebus tam copiosè, & tot, & tantis, in medium allatis exemplis egit, ut nihil aliud quàm ueteres scriptores legisse, & quæ memoriæ proderet, in illis obseruasse uideatur. Sed mirabile est, in quot, & quantos errores, hac in re, multi incidant, nonnulli legentes Aristotelem, & alios grauissimos scriptores, nihil agunt aliud, quàm eorum sententias, & eadem plerunque uerba tranferunt, & sæpissimè illud referunt in suos commentarios quod non intelligunt, quo maximo ipsorum labore, nihil quicquam potest esse ineptius. Alij, constitutis (ut ipsi dicunt) quibusdam ideis, hoc est, obscuris fictis nominibus omnium rerum quæ sunt, quæque fiunt, Artem, & scientias pol-

licentur

licentur redigere, & ambitioso nomine delectantes, πανεπιστήμονες nihil nescientes, et haberi, & dici uolunt. Non desunt, qui, omnia quæ disci possunt, in duo capita retulerint, rerum, & uerborum, & cum summoperè laborauerint, nullam aliam magis proximam distinctionem inuenire potuerint. Sunt alij, qui præceptorem (ut aiunt) imitantes Aristotelem, omnia quæ audiunt, et legunt in decem genera, ueluti in summa principia, siue elementa conentur redigere. Ego certè, tum propter ætatē, tum propter exiguam rerum cognitionem, pluribus uerbis aliorum sententias non audeo reprehendere, præsertim cum meam non uehementer admirer, aut magnifaciam. Ego autem te rogo, ne putes me, ulla alia de causa, hæc scribere hoc tempore, quam ut tuis studijs obsequar (scio.n. quàm præclarum sit aliquid inuenire) & quam difficilè sit doctissimis etiam uiris in re dubia, & in qua multi dissentiunt, aliquid affirmare. Multa requiruntur eximia quæ profectò in me nulla sunt. Ac ut breui quod meum sit hac de re iudicium intelligas; Ego sic existimo; græcam, & latinam linguam, usu & exercitatione, à doctissimis uiris, & ex ueterum scriptorum libris esse discēdas. Sunt quædam uniuscuiusque Artis, & Grammaticæ etiam ipsius præcepta, quæ discenda sunt semel à pueris, & commendanda memoriæ. Obseruauerunt multi diligenter uim, & multiplices significationes nominum, qui sanè homines non pa

rum de nobis sunt benemeriti, nam eorum labore libenter, & magna cum nostra utilitate fruimur. Quare mea est sententia; ut in percipienda græca; latinaque lingua, obseruationes potius aliorum, quæ innumeræ sunt, studiosè legamus, quàm nos in obseruando ea quæ ab alijs notata sunt, multum temporis ponamus: quinimmo eam diligentiam, quam nonnulli ea in re adhibent, in græcè latineque scribendo collocandam esse arbitror. Et profectò sæpè mirari sum solitus, quid sit cur cùm indices uerborum latinorum, ad hunc tantum usum inuenti, & editi sint, ut facilè latinè loqui, aut scribere posimus, ipsorũ tamen auctores difficilè latinè loquãtur, et scribãt malè; uel certè magna cum difficultate mediocriter. Id accidit (ut opinor) quoniam dum obseruant singula uerba; quæ sit ratio componendi orationem, ignorãt; & nihil, uel parum se exercent in scribendo, sine qua exercitatione, nemo ne mediocrem quidem laudem consequi potest. Danda igitur est nobis opera, ut eas omnes disciplinas quibus deditі sumus, ità in ordinem redigamus, ut eas uel semper recordemur; uel si aliquo casu, earũ nos obliuio cæperit, facilè in mentem reuocemus, quod ut consequamur, diligenter animaduertendum est, quæ sit inter omnes Artes, & scientias, societas, & quo inter se uinculo contineantur, quæ quidem distinctio memoriæ tradenda est. Ex ea.n. utilitatem eam capiemus, quòd statim sciemus, qua in arte siue

ſcientia uerſemur; & ſi in Arte, in quo genere Artis; utrum in Arte nobili, an minimè nobili, neceſſaria, an utili humano generi: & ſi in aliqua ſcientia, utrum in contemplatione, an in actione: & ut hanc diſtinctionem ante oculos tibi ponam; parumper, quæſo, mecum mente, & cogitatione ea ſeiunge, quæ etſi à multis ſeiunguntur, ſeiungi tamen non poſſunt; res et uerba. Ac ut ea etiam omnia, quæ nobis auctor ille bonorum omnium Deus, in ſacris literis, & uaticinio priſcorum uatum, & teſtimonio optimorum, & innocentiſsimorum hominum nobis tradidit, comprehendam, non eſt dubium, quin omnia quæ inuenta, & mandata literis ſunt, commodiſsimè (ut dixi) in res, & in uerba poſsint referri. Quicunque elaborauerunt, ut ſine ſolæciſmis, & barbariſmis, in aliqua lingua, & loqui, & ſcribere quibuſdam præceptis poſſemus, dicti ſunt Grammatici, homines ſanè digni, quibus multò maior quàm nunc habetur, honor habeatur. Qui tradiderunt præcepta quibus poſſemus de unaquaq; re propoſita aptè dicere, Rhetores: qui facta, dicta fortiſsimorum hominum narrauerunt, ut ad uirtutes mortales accenderent, hiſtorici; qui rhythmo quodam adhibito, miſcētes utilia dulcibus, ſtuduerunt hominibus prodeſſe, Poetæ ſunt appellati. Qui autē inſtrumentum ſiue facultatem, qua quid uerum, quid falſum; quid bonū, quid malum cognoſceremus, de genere hominū optimè meriti, pulcherrimam, & maxi

mè necessariam facultatē, quæ Dialectica dicitur, tradi derunt. Ergo Grammatica, historia, facultas dicendi, ars poetica, dialectica, artes, quæ in sermone uersantur, & admirabili inter se nexu coniunctæ sunt; appellari debent, quæ quidem, non materia subiecta, non instrumentis, quibus singulæ utuntur; sed fine potissimum distinguntur. Nam Grammaticæ finis est emendatè loqui; historiæ, in memoriam reuocare quæ præterierunt, & reddere mortales exemplis prudentiores: poeseos, delectando, & homines imperitos in spem erigendo, atque eis timorem incutiendo, corū affectionibus moderari: facultatis uerò Dialecticæ, uerum, quo nihil pulchrius à falso; & bonū quod omnes expetunt, à malo discernere. At rerum ipsarum quarum naturam, & proprietatem tanto studio, tantaque diligentia inquirimus, quædam in nostra potestate sunt, et ipsarum auctores nos sumus; quædam non sunt. Earum quæ sunt in nostra potestate, nonnullæ ad opus, nonnullæ ad summum bonum, hoc est; ad fœlicitatem referuntur: ex quibus principijs philosophia primum de uita, & moribus, quæ in homine, hoc est, in hoc paruo mundo, instituendo, & ornando in gubernanda familia, quæ parua Respub. est, & in Ciuitatibus rectè administrandis est posita. Deinde omnes Artes, quarum quædam sunt principes, quædam sunt infimæ; quædam sunt factiuæ (ut ita dicam) quædam cognoscitiuæ. Nonnullæ relinquunt

opus

opus post se, quædam nullum opus relinquunt; hinc, & genera Artium originem ducunt, & distinguuntur inter se medicinæ, pingendi, sculpendi, saltãdi, & pleræq; aliæ artes. Illæ autem res, quæ non sunt in nostra facultate, sunt trium generum. Etenim qui τὸ ὄν hoc est, illud quodab omni materia secretum est rimantur, et quid sit essentia, quid sit accidens, quid sit actus, quid unũ, quid multa; ij in contemplatione prima, siue diuina philosophia uersantur: siquis autem quantum, cum eo quod est, coniunctum contempletur, is in mathematicis uersatur disciplinis; & cùm duo sint genera quantitatis, disiunctum, & coniunctum; qui numerum, eiusq; proprietates inuestigat, dicitur Arithmeticus; qui numerorum proportionem, siue mensuram, musicus; Quantitatẽ immobilem considerat Geometra, qui terram metitur; mobilem, hoc est, cœli & syderum omnium naturam, Astrologus. Illi autem homines, qui principia, causas, & proprietates rerum, quæ cum materia coniunctæ sunt, diligenter indagauerunt, physiologi sunt appellati; quorum princeps, mea sententia, fuit Aristoteles; qui quæ essent principia interna, materia & forma, externa efficiens, & finis, & omnes proprietates rerum naturalium; hoc est, quid motus, eiusq; species, quid locus, quid tempus, copiosissimè, & elegantissimè tradidit. Iam uerò corporum naturalium, cùm nonnulla sint simplicia; nonnulla concreta; & simplicium;

quædam

quædam ex illius sententia, æterna sint, quædam intereant; concretorum, alia anima sint prædita, alia prorsus anima careãt; & horum quidem perfecta sint nonnulla; nonnulla sint imperfecta; & cùm inter ea, quæ animata sunt, nonnulla tantùm uiuant, quædam uiuant & sentiãt, quædam præterea sentiant & loco moueantur, nonnulla etiam intelligant, de his omnibus, admirabili quodam ordine egit in suis de physiologia libris Aristoteles. Iam uerò his positis, & constitutis, & optimè percepto discrimine Artium, & scientiarum; duo illa præclara præcepta obseruanda sunt; alterum ut statim à pueritia statuamus quibus in artibus, & qua in re nobis propositum sit excellere. Permulti.n. sunt, qui cum nullo adhibito consilio, temerè ad multas scientias animum adijciant, cum in omnibus uelint præstare nullã in re ne mediocrẽ laudem consequuntur. Quapropter illi, quibus à pueritia, adolescentum instituendorum cura est, debent eorum ingenium explorare, & diligenter considerare, ad quod potissimum natura eos formauerit, atque effinxerit. Nihil.n. tentandum est (inuita Minerua, & repugnante natura. Alterum est documentum quod scriptum reliquit Aristoteles, quod est certè obseruatione dignissimum nimirum ne scientias, atque artes, quæ mirabiliter inter se iunctæ sunt confundamus; & ne ordine quodam peruerso progrediamur. fit.n. ut qui eodem tempore ad multas, & diuer-

sas

sas Artes percipiendas, intendunt animum, in nulla mediocriter excellant. At tu quidem, qui cum esses admodum puer, primas artes didicisti, & cum propositum tibi sit hoc tempore in nobilissimis, & præstantissimis disciplinis præstare, puto mihi esse faciendum, ut quod de tota commentariorũ ratione sentio, iis ipsis artibus quibus nunc delectaris tibi aperiam, atque id faciam primum in Dialectica, & in Rhetorica, in quibus artibus multum profecisti, tum in ipsa philosophia, cui cum te nuper dederis, nemo est qui non speret, te summam breui tempore laudem esse consecuturum. Dialecticam facultatem sic referendam esse in commentarios existimo. Primum cognoscendum est ex ea, omnium Artium, & scientiarum, quam attulimus, distinctione, eam esse facultatem, siue Artem quæ in sermone uersatur non autem scientiam, quod quidem facile ab omnibus interpretibus confirmatur. Nam scientiarum omnium finis est ueritas, aut bonũ; & omnes scientiæ in rebus ipsis cognoscendis sunt positæ. Dialectica siue logica in sermone uersatur, & eius finis est Demostratio. Secundo loco cum nobis erit compertum illud quod est uerissimum Dialecticam esse facultatem, & instrumentum, idque quibus de causis; Deinde obseruandum est quis sit finis, & quæ sit eius materia subiecta. finis autem est demonstratio. Verum cum demonstratio sit ratiocinatio quæ constat ex propositionibus,

bus, propositiones in summa rerũ genera dissoluuntur. his acceptis uel ab interpretibus græcis, uel ab ijs quibus utimur præceptoribus; tum diligenter summa rerum genera distinguenda, & diuidenda sunt; uerbi causa. Omnium rerum quæ sunt, quæque fiunt; nonnullæ sua ui nituntur, & nullius ope indigent, ut sint, ut substantia: quædam nituntur aliena ui, & aliorum opera indigent ut sint, cuiusmodi sunt omnia accidentia: quorum quædam inesse dicuntur ipsi substantiæ, ut quantitas, & qualitas, & ea quæ referuntur; reliquæ omnes dicuntur compositæ; nam si cum substantia coniungitur ipsa quantitas, locus, & tempus, si cum qualitate actio, & passio; si cum ea cathegoria quæ refertur ad aliquid, situs, et habere, originem ducunt: tum animaduertendus est diligenter ordo, qui est inter summa illa rerum genera; & cur primò sit constituenda substantia; nimirum quoniam sine ea nullum potest esse accidens, deinde quantitas, quoniam sine qualitate excogitari potest substantia quantitate prædita: postremò quem ordinem inter se habent reliquæ: quibus diligenter adnotatis, singulæ cathegoriæ tanquam in tabella quadam, adhibita diuisione, ante oculos ponendæ sunt, exempli causa: Substantiæ quædam sunt incorporeæ, ut Deus opt. max. & mentes cœlestes, quædam habent corpus, & harum una est æterna, ex sententia ipsius Aristotelis, nempe ipsum cœlum: quædam, & generantur, & intereunt,

tereunt, atq; harum nonnullæ sunt anima prædıtæ, quædam anima carent. Ex his quæ carent anıma, perfectæ eæ dicuntur substantiæ, quæ ex quatuor constant elementis; metalla, et gemmæ imperfectæ; quæ non ex quatuor, sed ex duobus uel tribus, cuiusmodi sunt ea omnia quæ in sublimi parte huius mundi generantur. Illæ autem substantiæ quæ anima præditæ sunt, uel habent facultatem uiuendi tantùm ut plantæ; uel sentiendi etiam ut animalia bruta, uel uiuendi, sentiendi, & intelligendi, ut homo. Posita hac omnium rerum diuisione, considerandæ sunt, & obseruandæ omnes quæ uidentur esse substantiæ proprietates, sed ea præcipuè quæ uni, & soli substantiæ conuenit, nimirum cum una, & eadem numero sit possit contraria recipere. Eadem ratio seruari potest in reliquis cathegorijs diuidendis. In libello de interpretatione, cùm propositum sit agere de propositionibus, non est admodum difficile; inter eas discrimen cognoscere. Nam quædam sunt particulares, quædam uniuersales, quædam necessariæ, quædam contingentes, quædam impossibiles, quædam simplices, quædam uerbum substantiuum habent adiunctum, et demum nonnullæ habent modum, quædam non. Ita etiam in libris priorum. Agitur. n. eo in loco de forma ratiocinationis, et illud maximè spectatur, quæ uis sit concludendi, & idcircò quantitatem, & qualitatem propositionum diligenter obseruare oportet. Etenim ex

duabus propositionibus uerbi causa negantibus in secunda figura nihil concluditur. In tertia nihil in uniuersum recte ratiocinari possumus. Quapropter illæ omnes regulæ discendæ sunt semel, & memoriæ commendandæ. Demonstrationis de qua sermo est in illis difficillimis, & pulcherrimis libris, qui posteriores analytici inscribuntur, diligenter consideranda est descriptio, ac primum notandum erit, nonnullos fuisse ex priscis philosophis, ut Empedocles, qui omnium; nonnullos qui nullius rei, ut Heraclytus demonstrationem esse crediderunt quorum sententia multis argumentis explosa est; quorundam.n. construitur Demonstratio, quorundam nullo modo. Quædam.n. multò rectius quàm per Demonstrationem cognoscimus. Vis autem demonstrationis in hoc est posita; ut per aliquod principium; siue per aliquam propositionem medio carentem, proprietatem aliquam, alicui subiectæ rei conuenire probemus, ut hominē esse aptum ad percipiendam Grammaticam, quoniam est ratione præditus, ostendimus. Verum principio, & problemate Demonstrationem constare, doctissimi omnes uiri tradiderunt. Principiorum autem nonnulla nobiscum nascuntur, & dicuntur axiomata, hoc est, effata, siue pronunciata; quorum quædam, uni tantum Arti seruiunt, ut contraria contrarijs curantur, quædam pluribus. ut, si ab æqualibus æqualia demas reliqua erunt æqualia: quædam omnibus: quale est

illud

illud principium. Necesse est ut de unaquaque re uerum dicat, qui affirmat, uel qui negat. Ea principia quæ nobiscum nata non sunt, pauca adhibita diligentia, à præceptoribus discimus, ut sunt quædam theses, quædam subiectiones, definitiones, & postulata. Problema ipsum constat eo de quo dicitur, hoc est, ut homines, qui nunc philosophantur, dicunt, subiecto, & eo quod dicitur, hoc est, prædicato, quod necessario, in uniuersum, per se, & primò conueniat subiecto, si constitui debet Demonstratio, necesse est. Præterea cum per Demonstrationem cognoscamus, aut rem esse, idq; ex ipso effectu, aut quamobrem res sit; idcircò notandum est duplicem esse Demonstrationem. Alteram, qua probamus quòd res aliqua est, & dicitur à barbaris Demonstratio quia. Alteram per quam demonstramus propter quam causam aliqua proprietas alicui rei subiectæ accidat, & dicitur ab eisdem Demonstratio propter quid. Designo tantum locos. Totam.n. facultatem, quamuis non sit difficile hac ratione ante oculos ponere; non est tamen huius instituti; essem.n. longior quàm par sit. Itaque cum Demonstrationi ueluti causa, & principium seruiat definitio, ipsiusque definitionis dux sit diuisio, diligenter notare debes quotuplex sit diffinitio, & quæ maximè illius quæ rem totam explicat, natura sit; ita etiam ipsius diuisionis. Quæ omnia (mi Aloysi) & multo plura sumere poteris ab interpretibus

græcis, quibus (obsecro te pro nostra amicitia, fac quemadmodum cœpisti, ut diligentissime des operam; fuit.n. in illis uiris ingenium, iudicium, & doctrina singularis. Topica sumens in manus, meminisse debes, quæstiones omnes quæ possunt incidere, quatuor generibus contineri; genere, accidente, proprio, & diffinitione, in quibus tractandis multis locis, quorum natura est tradita ab Aristotele, à M. Tullio, à Quintiliano, & à plerisque alijs, uti facillime poteris. Accedens ad eos libros, animaduertere debes; cum rerum omnium quædam sint perpetuæ, necessariæ, & semper eodem modo, quædam sint in medio positæ, & contingentes, quædam falsæ: nonnullarum etiam sit scientia, quarundam opinio, quarundam demum error, & falsa sentẽtia; Sic ab Aristotele sapientissimo homine rationem necessariò concludendi, probabiliter disserendi, et captiunculas cognoscendi esse traditam. Sunt libri topicorum, & sophisticarum redargutionum pulcherrimi, & digni qui à te studiosè legantur. Afferunt.n. maximos usus ad eas res tractandas, quæ accidunt in hac cõmuni, quotidianaq; uita. Iam uero his constitutis facilè intelligere potes, qua ratione Aristotelem, & bonos eius interpretes legendo, possis breui tempore, ita facultatem logicã discere, ut eius præcepta, semper in promptu habeas, eorumque uix obliuisci queas. Eadem ratio obseruanda est in Arte dicendi.

Rheto-

Rhetorica est facultas quæ uersatur in sermonibus, eius finis est persuadere de omnibus rebus, siue (ut de proxima materia loquar) de rebus ciuilibus, quæ tribus dicendi generibus continetur. Deliberatiuo, cuius imprimis quinque sunt quæstiones. De bello, de pace, de præsidio militum, de custodia Ciuitatis, de annona, & de legibus in quibus utilitas maximè spectatur. Iudiciali quod uersatur in accusando, & defendendo, cuius finis est æquitas. Tertio genere laudandi, & uituperandi, quod dicitur genus Demonstratiuum cuius finis est honestas. facilè est ex his, tanquam ex fontibus, quæ reliqua sunt in Arte cognoscere. Si de pace agendum est, uires Reipub. & inimicorum considerandæ sunt, & commoda pacis in mediũ afferenda. Sic in reliquis. Si accusandus est aliquis, crimina quæ ei obijcimus, sunt argumentis comprobanda. Si laudandus, uel uituperandus est aliquis, uitia, & uirtutes copiosè, & ornatè in medium sunt afferendæ. Atque cum Orator studeat persuadere, docendo, permouendo, & conciliando; notandum est, quibus instrumentis maximè fidem facere soleat Orator, nempe enthymemate, & exemplo. Deindè cum necesse aliquando sit in inuidiam, in odium aduersarios inducere, & Iudices ad Iram, & ad misericordiam impellere; hoc loco necessario erit cognoscendum quid sit perturbatio, quot, & quæ sint affectionum genera, & qui, quibus de causis, & quibus homi-

nibus uel irascantur, uel inuideant homines, & cætera id genus. Præterea conciliandi sunt sæpe eorum qui audiunt animi, idque ornata, & polita oratione efficiendum est, & propterea animaduertere oportet, quot sint genera nominum, & quæ maxime in soluta oratione conueniant. Et ut rem totam paucis complectar; si semper cogitabis, qua in arte uerseris, qui sit ipsius finis, quot, & quibus instrumentis, & quomodo utatur, et hoc ordine, qui est ab Aristotele, & à sapientissimis uiris inuentus, & traditus, referes in tuos commentarios latinis uerbis omnia capita Artis; nunquam illius disciplinæ quam semel hac ratione didiceris, non recordaberis. Verum.n. uerò ut in scientijs ratio illustretur. physiologiæ tu quidem das operam diligenter. Aristotelem, & eius interpretes græcos imprimis sequeris. Platonem etiam debes legere. Quid est (dices) obseruandum? In scientia cognoscas te uersari oportet nobilissima, & utilissima. Nihil dico hac de re Tractatus.n. fuit à me aliàs hic locus, & ante me, à permultis grauissimis philosophis; finis huius scientiæ, nulli dubium est, quin sit ueritatem cognoscere, eiusque materia subiecta, corpus mobile, natura præditũ; cuius sanè corporis diligenter notanda sunt principia, et annexa ipsis principijs, quibus cognitis, notandum est, quot sint genera corporum, in quot distinguantur, & quæ singulorum sit natura, atque proprietas. Ergo principia interna primum

cogno-

cognoscenda sunt, materia & forma; quidque de materia senserint omnes ueteres philosophi, & quã ob causam; sic de forma, & de reliquis principijs. Tum annexa principijs naturalibus, hoc est, motus, eiusque species, generatio, corruptio, incrementum, decrementum, alteratio, & latio. Deinde, qua ratione motus potest dici unus, contrarius, & continuus, & perpetuo ab illo rerum omnium auctore Deo moueatur, animaduertendum est. Sic natura loci, & ueterum ea de re sententiæ, & ipsius temporis obseruanda est. Postremo loco, corporum, quorum quædam diximus esse simplicia, quædam concreta, essentiam, proprietates, & accidentia, quæ mirabili ordine explicantur à philosophis, tum ex Aristotelis, tum ex Platonis, aliorumque scriptis obseruare debemus. uerbi causa. Cœlum est quinta quædam natura, siue corpus simplex quod in orbẽ agitur. Percurrenda sunt summa decem rerum genera; & obseruandum sit ne finitum, an infinitum, æternum, an posit interire; agat ne in hæc inferiora, & agendo patiatur. Sit ne in cœlo pars dextra, & sinistra, & demum quo in loco sit ille cœlum, & terram regens, et tuens Deus. Hæc eodem adhibito ordine si contẽplabimur elementa, & singula corpora naturalia, fiet ut integram om

sed oportet grauissimos, & doctissimos scriptores quotidie euoluendo, multa, & præclara documenta animaduertere, neque certè sine multo labore, & sine magna diligentia, aliquis, quamuis ingenio præstiterit, ad summam gloriam potuit peruenire. Et quoniam scio, te illa philosophia, quæ uerè philosophia est appellanda, hoc est, ea parte, quæ agit de uita, & moribus, magnopere delectari; in ea etiam tradam locos, qui, meo iudicio obseruandi sunt, & referendi in commentarios. finis illius philosophiæ est fœlicitas, de qua uariæ multorum philosophorum extiterunt sententiæ; alij in uoluptate, alij in honoribus, plerique in diuitijs summum bonum posuerunt. Aristoteles autem cum fœlicitatem humanam in actione secũdum uirtutem, in uita perfecta collocauerit, necessario animaduertendum est, quid sit actio, & quæ facultas, à qua actio prouenit; deindè quid sit uirtus, id est recta ratio in mediocritate earum affectionum quæ nobis insitæ sunt, posita. Tum quot sint uirtutum, & uitiorum genera, et quæ unamquanque uirtutem, & unumquodque uitium proprietates consequantur. Postremo notandum erit quod à grauissimis philosophis disputatũ est in utranque partẽ. sufficiat ne ad benè beatèque uiuendum, uel quædam etiã bona, quæ dicuntur externa requirantur, ualetudo, diuitiæ, & amici, & si requiruntur, quid de ijs scripserint ueteres, quem usum afferant ad fœlicitatem obseruare debemus. familiæ admini-

ministrandæ multa præcepta sunt tradita à Xenophonte, et ab Aristotele, quæ in ordinē digerenda sunt. Atque notandum est quale sit munus patris familias; quibus in rebus uirtus, & industria fœminæ appareat, qua demum ratione, in officio continendi sint filij, & serui. Deinde quot sint seruorum genera, & quid ad unumquodque eorum maximè pertineat. Postremò qua ratione augeri sine iniuria possit patrimonium; quantum utilitatis agricultura, quantum mercatura soleat afferre. In politicis, cognita differentia inter domum, uicum, & Ciuitatem, ordine quid de Rep. monumentis literarum tradiderint ueteres, secundo loco quid sit Ciuitas, tertio diuisione adhibita, omnia, quæ unquam fuerunt, & esse possunt ad ministrationum genera, quo nihil est facilius, animaduertendum est. Nam aut penes unum omnium rerum est potestas, uel penes plures. Si unus imperet, & imperet ritè, & legibus, is dicetur Rex, qui ab Homero principe poetarum, pastor populorum appellari consueuit: si libidine, & ui, tyrannus. Cum autem plures administrent Rempub. hi si sint pauci, & boni, dicuntur optimates, qua in administratione (ut in nostra Repub. fit) uni uirtuti omnia tribuuntur. Si sint mali; dicetur status, siue potentia paucorum; quæ ratio administrandi secundum tyranni-

libertatem: si ea in administratione, leges, & iura Ciuitatis seruentur, proprio nomine dicitur Respub. sin autem (quod plerunque accidit) seditiones oriuntur, popularis status, uel temeraria gubernatio appellabitur. Vltimo loco notandum erit, qua ratione huiusmodi administrationes diu conseruari possint, & quibus de caussis soleant interire; qua tractatione nihil à Platone in libris de Repub. neque ab Aristotele in polyticis excogitari potuit sublimius, aut prudẽtius, quos quidem pulcherrimos locos omnes quidem, qui studijs bonarum Artium delectantur; sed imprimis qui in Repub. nati sunt, studiosè debent legere. Verum miraberis fortasse cur ego in exponendis ijs, quæ ab Aristotele, & à Platone sunt inuenta, & mandata literis, tam longa oratione usus sim; fateor hæc omnia quæ dixi, me accepisse à summis philosophis; sed ea attuli in medium hoc tempore; ut præcepta quæ obseruanda existimo, in commentarijs memoriæ causa conscribendis, ad usum reuocarem. Quod si aliquis dicat, hanc quam ego probo rationem, fuisse ab Aristotele obseruatam, tantum abest, ut id negem, ut ob hoc immortale beneficium, summo illi philosopho putem habendas esse gratias immortales. Nos imitari Aristotelem imprimis uolumus, & hoc unum nunc quærimus maximè, qua ratione, ea quæ legimus, & audimus quotidie, conseruemus, et ita memoriæ consignemus, ut ea semper in promptu habere possimus. Bernardum Nauagerium auunculũ meũ

uirum

uirum in omni disciplinarum genere politissimũ sæpe hoc affirmantem audiui tantã in Gaspare Contareno patruo tuo, cuius consuetudine aliquandiu usus est, fuisse memoriam, tantã, et tam singularem omniũ rerum, quæ ab Aristotele scriptæ sunt, cognitionem, ut si ille immortalitate dignissimus auctor fato quodam ætatis interijsset, ipse unus eum restituere potuisset. Magna laus, sed quæ ei tãtum uiro, qui omnium philosophorum, qui patrum ætate uixerũt facile princeps est habitus, iure tribui posse uidebatur. fuit in eo homine (ut à Lazaro etiã præceptore meo sæpe audiui) præclarũ ingenium, acerrimũ iudicium, memoria propè infinita, tum rerum, tum uerborum; Sed his (ut opinor) adiumẽtis, accessit ordo quidam mirabilis, quo utebatur, in ijs disciplinis, quibus se tradiderat percipiendis: qui (ut credo) quanquam fuit multò præstantior, q̃ hic, quem ego probo, non potuit tamen ab eo esse ualdè dissimilis. hunc eundem ordinem in suis studijs hac tẽpestate scio adhibuisse Montanum philosophum, et Medicum egregium, Lazarũ Bonamicum, & Bascianũ Landum præceptores meos, quibus hominibus quantũ iure tribuendum sit, non ignoras. Neque uelim putes, me, hæc quæ scripsi, uehementer admirari, probabilia mihi uidentur, secutus sum ego, pro mea mediocritate ingenii hanc rationem in

De Commentarijs consi. memoriæ causa,

mirum? Varia sunt hominum ingenia; præstãt alij memoria, cum acumine ingenij parum ualeant. Contra, alij cum acutissimi uideantur, facillime omnia obliuiscũtur. Nonnulli exemplis, nonnulli demonstrationibus doceri uolunt: aliquos iuuabunt huiusmodi cõmentarij, alios fortasse negligentiores efficient. Sed ni fallor, non sunt omnia, quæ dixi, prorsus contemnenda. Sed de his hactenus. Optime Aloysi, hæc de re tam dubia, ad te scripsi, cũ ut obsequerer tuis studijs, tum ut meã singularem erga te beneuolentiam omnibus patefacerẽ. Quòd si mea hac, quantulacunque fuerit diligẽtia, id nõ sum consecutus, ut aliquid, quod tibi utile futurũ sit, nec excogitare, nec scribere potuerim, maximũ tamẽ fructũ cæpi meî laboris, quod in re tam honesta, a tua uolũtate nõ recessi. Reliquũ esset, ut te admonerem pluribus uerbis, ut ad eam laudem, quam patruus tuus Cardinalis, in tuam domũ intulit maximam, et quam alter, qui adhuc uiuit, summa sua in Repub. administranda diligẽtia, & integritate auget, quotidie ut facis, contenderes, sed minimè quidem est opus currẽtem excitare; hoc unum tantum uelim tibi persuadeas, nihil esse tam præclarum, nihil tam amplum, nullã tantam, & tam multiplicem rerum cognitionem, quam à te istis parentibus orto, isto ingenio, istisque moribus prædito, non modò non expectent omnes, uerum etiam non postulent, sed (ut spero) non sustinebis modo, uerum etiam superabis omnium opinionem.

F I N I S.

